
Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

35 - 181.



BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

LN 1497
ex. 1
M

IN C
SERE
ET POTEN
NIÆ ET NO
FRIDERICI II
recitata in A
Iunij,

CVI ADDITA
ratio, de pompa,
optimè meriti ac C
DERICI II. hun
dine, funus ex ſ
ſi, in templum
ctum, tùm
proc

IOHANNE
dorpio,

HA
Impreſsit
n
M. D.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

IN OBITVM SERENISSIMI ET POTENTISSIMI DANIÆ ET NORVEGIÆ REGIS, FRIDERICI II. ORATIO FVNEBRIS

recitata in Academia Hafnienſi, 10. Iunij, Anno 1588.

* ❦ *

CVI ADDITA EST BREVIS NARratio, *de pompa, quâ exuuiæ, glorioſiſsimi, optimè meriti ac Chriſtianiſsimi Regis,* FRIDERICI *II. humo mandatæ ſint, & quo ordine, funus ex ſede Epiſcopali Roſchildenſi, in templum Cathedrale ſit deductum, tùm quomodo publica proceſsio habita ſit.*

à

IOHANNE OLAI SLANGENdorpio, *Profeſsore Th: ordinario.*

HAFNIÆ,
Impreſsit Laurentius Benedictus.

M. D. LXXXVIII.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

P

Cũcta bonis proſunt, quos & mors ipſa beatos
Efficit, vt ſumant præmia Principiûm.
Ille igitur finis malus eſt, quem pæna ſequetur
Et qui perpetui porta doloris erit.
Nõ quo abſumũtur lachrymæ, cũctiq; labores,
Vt veteris pereant omnia ſigna mali.

Salomon

MISERICORDIA ET VERITAS CVSTODIVNT REGEM ET CLEMENTIA STABILITVR THRONVS EIVS.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

VETVSTISSIMA MAIOrum inſtituta ſunt, clariſsimi, generoſi, nobiles, egregij, prudentes & præſtantiſsimi viri, voſq; cæteri auditores omnes attentiſsimi, laudabili conſuetudine ab illis ad nos vſq; deriuata, ac ab initio rectè conſtitutarum rerumpublicarum recepta, legibusq; duodecim tabularum comprobata, vt clariſsimorum Principum ac Regum, quicunq; magnitudine rerum aut domi aut foris, aut pace aut bello geſtarum, aut alia quauis vitæ gloria floruiſſent, cùm luce hac exceſsiſſent, eorum vita omnis, ortus, curſus, virtutes, resq; geſtæ, funebri ſermone (quò ad eorum imitationem fortè alij inuitentur) poſt obitum recenſeantur.

Quod cùm mihi hodie iniunctum ſit munus, Illuſtriſsimi Principis FRIDERICI II. Daniæ & Noruegiæ Regis potentiſsimi, funus perorare, funus inquam tam acerbum & flebile, quod non ſolùm horum Regnorum prouinciales omnes lugent: Sed etiam exteri populi certatim illachrymantur, quod etiam dolent flentq; hoſtes, ac deniq; pro quo vniuerſus chriſtianus orbis, vix ſibi temperat à lachrymis, impium eſſet non parere,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

& onus hoc, licet humeris meis longè impar & pergraue, vllo modo recuſare. Optarem autem nunc mihi eam ingenij felicitatem, orationis vim ac dicendi copiam, vt cuius vitæ & rerum geſtarum laudes, in præſentia vobis enarraturus huc conceſsi, quibus deceret orationis & verborum inſignibus, ritè poſſem abſoluere.

Sed in tanto publico luctu, acerbiſsimoq́; omnium ordinum mœrore, ego quoq́; ſic conſternatus ſum, vt in tanta præſertim ingenij inopia, mea vox, quæ teſtis officij & pietatis optimo regi debitæ, eſſe debebat, dolore & lachrymis ferè intercludatur. Quare non hoc mihi ſumo, vt vel ſummam mœſticiam procerum & magnatum huius regni, popularium deniq́; omnium oratione leuem, vel iacturam Eccleſiæ & Reipublicæ, quam illo amiſſo fecimus maximam, deplorem, vel Encomium laudum illius inſtituam.

Neq́; verò cuiquam poſsibile puto, etiamſi cuncti mortalium id molirentur, omnes eius laudes attingere, qui virtutum omnium inimitabile fuit exemplar, nec noſtra ſolum ætate, ſed omni temporum poſteritate Princeps memorabilis, quippe quo, nulla ætas nec tulit nec feret maiorem, vixq́; ei parem.

Sed

Sed quoniam aliquid omnino dicendum eſt, & ſignificatio oſtendenda noſtri luctus, & pietatis ac gratitudinis, quam Deus præcipuè bonis Principibus reddere iubet, tantum hac miſera & lugubri voce, Sereniſſimo Regi noſtro, patri patriæ, & verè φιλοσόργῳ *ac pio Principi, breuiter pauca, ex hiſtoria eius diſcerpens ac delibans, parentabo, eiusq́; manibus ceu querela quadam, ſtudioq́; meo iuſta peragere inferiasq́; ſoluere conabor: Vt & memoriam virtutum & beneficiorum optimi Regis, grata mente conſeruemus, & tam illuſtri exemplo commonefacti, ad virtutes pro noſtro modo & vocatione imitandas exuſcitemur.*

Dicam itaq́; quàm breuiſſimè de ea parte hiſtoriæ quæ res ante mortem geſtas continet, tum & de ea, quæ huic annexa complectitur. Mihi interim veniam dari ſubmiſſè volo imparato, & dolore maximo, alijsq́; difficultatibus commoto atq́; impedito, ſi non ex ordine omnem (quod quidem fieri decebat) vitam eius, geſtaq́; copioſè, ſed ſummatim tantum & per capita recenſuero, non ignorans quàm vber ac latè patens hîc ſeſe dicendi campus, aperiat diſerto ac copioſo oratori.

Mihi tamen in tanta excellentium virtutum admiratione ſufficere arbitratus ſum, ſi modò ex officij mei religione, ingratitudinis reprehenſionem defugerim, ac res infinitas in breue comp:ndium contraxerim. Non dubitans diui FRIDERICI, Regis immortalis hiſtoriam, iuſto opere atq́ volumine ſuo tempore ab alijs concipiendam, atq́ ad poſterorum memoriam diligenter tranſmittendam. Quamobrem oro vos atq́ obſecro, clariſſimi atq́ ornatiſſimi auditores, vt pro veſtra erga optimè meritum Regem affectione, bonitate & candore, hanc non dico orationem, ſed miſeram, conciſam & malè cohærentem querelam, quæ nihil differt à cantu cicadarum, ſine moroſitate & faſtidio audiatis. Perficiam enim (Deo iuuante) ne quid indignum veſtris auribus atq́ animis à me dictum videatur.

Quare vt inchoëmus ab eo, quod res ipſa primo loco dici præcipit. Natus eſt FRIDERICVS. II. Rex Daniæ & Noruegiæ, Anno dominicæ incarnationis 1534. calendis Iulij, quo tempore bella, factiones, & omnium tragicorum malorum agmen, quaſi mare quoddam exundans erat, atq́ vniuerſas huius regni prouincias ira, rabie,

odio,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

odio, ſanguine, cæde, ſcelereq́ inuoluens atq́ permiſcens. Dum plebs ſeditioſa rerum nouarum cupida, tumultuabatur, ciues mutuo ardebant odio, diſsidebant in varias factiones ſinguli & omnes, patria omnis in ambiguo erat, & plura loca hoſtis poſsidebat, quo etiam anno, omnes horum regnorum proceres, CHRISTIANO III. exorientis huius nouæ lucis, parenti generoſiſsimo, Lubecam obſidenti, Sceptrum Daniæ offerunt, qui eam prouinciam vt duram, difficilem, nec à periculis alienam conſiderans, ac maximè illis temporibus, quibus gloria paucorum, laudis tituliq́ cupido (vt Poëtæ verbis vtar) patriam noſtram mirum in modum diuexatam adobruit, aliquoties, quidem modeſtè recuſauit, ſed tandem magnatibus inſtantibus, inuocato Dei auxilio, ſuſcepit, ne patriæ & vicinis, quorum res erat in extremum deducta diſcrimen, ſuam operam denegare videretur, quo facto miſsos ad ſe regni optimates, blanda oratione in illo timore excepit, diffidentesq́ rebus ſuis confirmauit, afflictos erexit, dubiosq́ recreauit, ac ſtatim ſequenti anno 1535. 11. Iunij, magnas Chriſtopheri Comitis & Lubecenſium copias, omnibus rebus ornatas atq́ inſtructas, ad Aſnicium Fioniæ

vrbem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

vrbem, edita ſtrage ingenti deleuit ac planè diſsipauit, in quo conflictu Comites de Höia & de Tecelmburgo Weſtphaliæ, deſiderati ſunt.

Huiuſmodi Victoriæ & Regiæ aliæ virtutes CHRISTIANI III. perſpicuè oſtendunt, quantum ſapienti viro & fortiſſimo bellatori debeatur. Et quemadmodum grauiſsimè dicitur, ἐν δυσυχίαισ λάμπει τό καλον: Ita etiam triſti & periculoſo eo tempore, quo non tam exteri huic terræ, tanquam præde inhiarent: Sed etiam ingentibus motibus ac diſsidijs inteſtinis, regnum hoc miſerè turbatum erat, tanta illuxit CHRISTIANI III. virtus, & infracta animi fortitudo, vt pòſt confecta neceſſaria periculoſiſsimaq́; bella, omnia in priſtinam tranquillitatem reſtitueret, eaq́; obſtacula quæ curſum Euangelij renaſcentis impedire videbantur, variasq́; Romanæ Eccleſiæ reliquias, aut ſubitò ſedibus deturbaret, aut in eum ordinem redigeret, vt auxilij plus quàm periculi, ab illis Euangelio eſſet expectandum.

Tales fuerunt virtutes magni Heröis CHRISTIANI. III. patris FRIDERICI. Sed quid de auo Friderico ſcilicet primo dicam? eius virtutes quanquam nec cogitatione,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

ne, nec ſtylo in tanta tẽporis anguſtia complecti poſſum, tamen eximia eius in Deum ϖληρο-φορία hoc facit, ne illud prætercam, quod omnibus principibus perſuaſiſſimum eſſe debet: nimirum, humana vi, induſtria, potentiaq́ꝫ nihil expediri, ſi diuinus fauor atq́ꝫ clementia nõn aſpirarit, ac econtra nullam vim atqꝫ potentiam quicquam præualere, vbi Dei protectio excubat pro regnis atqꝫ imperijs conſeruandis ac ſtabiliendis. Sed ad rem, cum Chriſtiernus rex, Iohannis filius, maximam manum, copiasq́ꝫ auxilio Marchionis Brandenburgenſis aliorumq́ꝫ principum conflaſſet, eo animo vt & Lubecam vrbem obſideret, tum & per Holſatiam graſſando Daniæ regnum recuperaret.

Hoc audiens FRIDERICVS, rex ſanè frugi ac pacificus, magna πληροφορίᾳ dixit, regem ſuum Deum Zebaoth pro ſe pugnare, quo pugnante ſibi ac ſuis nihil imminere periculi. O regiam vocem, & Chriſtiani Regis Chriſtianam fiduciam. Hæc dicens perſuaſum habuit pijſſimus rex, quòd ſicut à Deo ad regnum perductus eſſet, ita etiam fore non dubitabat, vt idem in regno ſe conſeruaret ac tueretur, aduerſus omnem vim atqꝫ tyrannidem.

Hæc & ſimilia in auo, IOHANNE Rege, & proauo CHRISIANO I. cum non modo longiſſimum, ſed penitus infinitum ac impoſſibile ſit, oratione velle complecti, quæ magnis hiſtoriarum voluminibus vix explicari poſſunt, meritò ab ipſis, parcentes tempori, ſuperſedemus. Nec de matre Dorothea, ex clariſſima, inclytorum Saxoniæ principum familia orta, filiaq́; illuſtriſſimi Principis Magni, ducis Saxoniæ inferioris, prolixé dicam? Cùm hæc non modo omnium virtutum genere ornatiſſima, ſed ornamentum huius regni, imò decus totius feminei ſexus ſingulare extiterit.

Verùm nos in progenitoribus Sereneſſimi Regis noſtri enumerandis, ſermonem noſtrum non extendemus, cum nec vllum orationis flumen, immenſum vtrinq́; virtutum oceanum eloqui ſufficiat, tantaq́; paſſim, ſiue paternum ſiue maternum ſpectes ſtemma, exiſtat nobilitas, tanta claritas, tanta præſtantia generis, vt omnes, Chriſtiani orbis, Reges atq́; Principes propinquitate ſanguinis & generis affinitate contingeret. Et ne fidem exceſſiſſe videar, etiam plurimorum eorum oratores, ſummos viros, ſed afflictos & atro colore, mutato veſtitu huc miſſos vidiſtis,

diſtis, ad honeſtandum hoc funus, & maximè ad præſtandum Sereniſſimo Regi noſtro, Principi omnium laudatiſſimo, exequiarum cultum.

Sed hæc breuiter de progenitoribus Sereniſſimi Regis noſtri recitare volui, quòd & ſemina virtutum, & ſimiles impetus, à parentibus in liberos, & à maioribus in poſteros propagari exiſtimentur, ſicut præclare ille, φυᾷ τὸ γενναῖον ἐπιτρέπει ἐκ πατέρων παισὶ λῆμα *ɔ: generoſi parentum animi, natura & in filÿs excellunt, & maxima gloria ſit, ab illa familia ortum ducere, quæ non tam generis nobilitate gloriari poteſt, quàm quòd familiæ omnium laudatiſſimæ, veræ vidȝ: Eccleſiæ Dei ſit pars ac membrum. Quare cùm ex tam illuſtri ac Deo conſecrata familia originem viuendi traxerit Rex noſter, verè de parentibus cum Eccleſiaſtico dicere poterimus, quorum pietas non defuit, & cum ſemine eorum perſeuerat bona hæreditas, filÿ eorum & nepotes eorum propter eos in æternum manent, ſemen eorum ac gloria non derelinquetur, ſed nomen eorum viuet in generationem & generationem.*

En ſtirpis huius nobilitatem, vetuſtatem, gloriam. En ſemina, en radices, quæ pul-

cherrimum hunc & precioſiſſimum fructum protulerunt, à quo regio & generoſo ſtẽmate priſco, tantum abeſt, vt degenerarit vnquam hic optimus Rex, vt virtute etiam ſingulari, & factis proprijs atq; honeſtiſſimis, amplius illud quàm à maioribus acceperat, prouexiſſe atq; exornaſſe, adeoq; tanti ſui generis memor, maius auctiusq; reliquiſſe, ac verè cumulaſſe poſteris videri poſſit. Quare nunc ſtatim ipſe Diuus FRIDERICVS noſter laudandus eſt, nobisq; ſuis proprijs coloribus & lineamentis exprimendus, ac cum educatio & diſciplina bona, bonas naturas efficit, ac ſi naturæ bonæ rectè regantur, longè fiunt præſtantiores, ad educationem ac primos ætatis annos, feſtinabit oratio.

Cùm igitur Rex ſanctiſſimus, CHRISTIANVS III. iam ſtatum reipub: quem mirum in modum labefactatum, afflictum & nutantem accepit, ex plumbeo aureum perfeciſſet, & inueteratam pontificum Romanorum Idolomaniam, à patre ſuo ſanctæ & felicis memoriæ, FRIDERICO primo, oppugnari cœptam, tanta dexteritate eradicaſſet, vt veram ac cœleſtem lucem Euangelij Chriſti, non ſolum in hoc regno, ſed etiam in Norwegia, ac alijs remotiſſimis ma-

rium

rium interuallis, diſsitisq́; borealibus inſulis, imperio tamen eius ſubiectis, pié & conſtanter diuulgari ac propagari curaſset: tandem cogitans de vitæ huius fugacitate, ac ſe humanis legibus non exemptum, nec perpetua in terris vitæ ſpacia vlli mortalium conceſſa, ſed finita pro infinitis dira neceſsitate, omnibus mortalibus commutanda eſſe. Conſiderans quoq́; in aperto hoc rerum omnium declinio, ſeneſcentisq́; ſeculi fece, magnam ſubinde in regnis atq́; imperijs confuſionem perturbationemq́; exiſterè, multisq́; anſam ad varia tentanda, magnatum ac regum inopinatas ab his terrenis euocationes, miniſtrare, id quod multæ reſpublicæ non ſine magno ſuo malo paſsim teſtantur. Adhæc quoq́; in animo voluens ac reputans ſummorum Regum exemplum, quorum maieſtatem auxit, & exteris nationibus non minimum terroris incuſsit, nouorum Regum ac Imperatorum recens χειροτονεία & legitima ad regnorum defenſionem ac conſeruationem deſignatio, in quorum catalago Dauidem, Carolum Magnum, Henricum Aucupem, Fridericum Auſtriacum, aliosq́; nonnullos Reges & Imperatores, vt præteream auum & proauum Chriſtiernum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

primum ac multos ſimiles, qui hoc modo ſubditis non ſaltem ſucceſſorem certum, ſed plerumq; etiam pacem & tranquillitatem, ab inteſtinis diſſenſionibus alienam reliquiſſent. Quare hac cogitatione adductus Rex ſapientiſſimus ac generoſus pater, de communi conſenſu procerum & magnatum huius regni, filio FRIDERICO. *electionem impetrauit, cui in regni ſucceſſionem electo, etiam homagium à ſubditis præſtari curauit, anno à nato Chriſto 1542. Regis verò noſtri anno octauo.*

Sed apto iam diſciplinis FRIDERICO, *cùm parens ſanctæ memoriæ* CHRISTIANVS *graui iudicio ſciret, non fruſtra dictum eſſe à diuino illo Platone,* Ipſis principibus, & primò & maximè Deus præcepit, vt nullius rei maiorem curam cuſtodiamuè ſuſcipiant, quam filiorum. *Intelligeret quoq; Græcas & Aſiaticas gentes, quæ olim doctrinæ literatæ, ſapientiæ & eloquentiæ laude claræ fuerunt, iam barbarie oppreſſas iacere, imò cùm ex ſuperiorum temporum conſideratione, literarum ac bonarum diſciplinarum iacturam, non tantum* πανολεθρίαν *pietati & religioni afferre animaduerteret, ſed etiam plurimorum incommodorum & malo-*

rum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

rum grauiſsimorum, in communi hominum vita, cauſam exiſtere. Sciret quoq; Regem aut Ducem abſolutæ virtutis & gloriæ famam adipiſci non poſſe, niſi literarum præſidio munitus, omniſq; ætatis inſtituta militiæ, ipſaq; antiquorum ſtratagemata, ex hiſtorijs percalleat, nec ea documenta quæ magno vſui militiæ forent, ab ignaris literarum niſi longiſsimo tempore experiundo, percipi poſſe, quæ alij ex veterum exemplis legendo facilè conſequuntur. Quare his & ſimilibus cauſis perſuaſus optimus pater, filio FRIDERICO, non optimorum modo ſtudiorum, ſed nobiliorum etiam artium laude inſignes, magiſtros & pædagogos ingenij ac morum informatores præfecit. In ea pædagogia natura in eo excellens, & graue (pro ea ætate) perſpicacis ingenij iudicium breuî adeo profecit, vt non modò primis literarum tyrocinijs & vera de Deo doctrina imbueretur: ſed etiam ad amorem Chriſtianæ religionis, iuſticiam, manſuetudinem, & id genus, virtutes cæteras incenderetur.

Ac commemoratione non indignum eſt, optimum Regem noſtrum, poſtquam iam ipſa experientia didiciſſet, quantum in omni vita, literarum cognitio, vtilitatis pariat, ſe

non

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

non altiorem progreſſum in literarum ſtudijs feciſſe adoleſcentem, ſæpe ac grauiter conqueſtum fuiſſe. Huiuſmodi optimi regis diſcendi ardor, perſpicuè docet, eum longe aliter iudicaſſe de bonis literis, atq; inuidos & furioſos illos ariſtarchos, qui exiſtimant indecorum eſſe Principi, literarum ſtudia attingere, metuentes, ſi Principum Spiritus inuadat ſanctus ardor ſapientiæ, ſtudij literarum, prudentiæ, virtutum, hiſtoriarum, ſeſe qui barbarie ac ignorantia ſordent, contemptum iri, ſibiq; doctos & graues viros longo interuallo præferendos. A quibus longè diſſentiens eius R. M. ac aliorum Principum & ſummorum Imperatorum, propter facundiam in latina ac alijs linguis, in hiſtorijs & annalibus mirifica extare elogia, perpendens, inter quæ plurima, neq; vulgare eſt Iohannis Gerſonis, Pariſienſis Academiæ olim magnifici Cancellarij, de Sigiſmundo Imperatore, de quo ita perorat: Priusquam (inquit) recederet à Concilio Conſtantienſi, cum Rege Arragonum aliiſq; clariſſimis Principibus, ſæpe Romano ſermone diſſeruit, ac orationem latinam, non tam verborum & rerum grauitate concinnam, quàm omni religioſa pietate, & vera Chriſtiana religione, pleniſſimam,

reci-

recitauit, quamq́; his auribus non ſine pia compunctione lætus audiui. Hactenus Gerſon. Hæc & ſimilia regum ac principum elogia, proculdubio heroicum FRIDERICI regis animum, ad literarum & ſtudiorum conſiderationem crebriorem extimularunt, & maximè hæc ipſa tempora, in quibus ſtatum Eccleſiæ ac Reipublicæ, multis in locis horribiliter labefactatum & laceratum, improbis quorundam Corybantum & furioſorum ſpirituum diſtractionibus & ambitionibus videmus, atq́; hæc de primis rudimentis acq́; tyrocinijs Regis noſtri, tam ſanctiſſimo patre, quàm alijs doctiſſimis viris informatoribus & magiſtris.

Cùm autem virilem togam indutus eſſet, atq́; iam ea ætate vigeret, vt iudicare eum de ijs rebus quarum cognitio in vita maximè neceſſaria eſt, conueniret, & partem gubernationis ſuſtinere poſſet, non voluit Deus hunc Regem tantum in priuata & vmbratili exercitatione latere, ſed productum ex latebris in ſolem & puluerem, obiecit maximis turbinibus, & fluctibus negociorum in Eccleſia & Republica. Nam cum parens eius ſanctæ recordationis, CHRISTIANVS III. totos 24. annos (omnibus

ab initio gubernationis in vnam ſummam contractis annis) in regno exegiſſet, & tanta dignitate adminiſtraſset, vt omni virtutum genere, non modo proprijs ſubditis, ſed & vniuerſæ Europæ Regibus, antecelleret, moritur CHRISTIANVS III. omnium qui viuunt rex manſuetiſsimus & honoratiſſimus, Coldingæ in Cimbrica cherſoneſo, ineunte anno milleſimo quingenteſimo vndeſexageſimo, primo Ianuarij, anno ætatis 56. quo tempore Imperij Romani ſceptrum tenebat Ferdinandus Auſtriacus, ſuperiore anno, in Caroli quinti fratris locum, ſeptemuirorum Germaniæ ſuffragio ſuffectus. Illis commitijs Francofurti ad Mænum, indictis, longa itinerum ſpacia emenſus, interfuit Rex FRIDERICVS, in quibus, cùm diſciplinis militaribus excelleret, atq; equitando quidem, luctando, currendo, concertando, vigilando, & ad omnia militaria munia perferenda agilis, alacerq; exiſteret: ſic his vtiq; emicuit, vt præter animi & ingenij laudem, gratiam quoq; apud omnes ſimul & admirationem ſit adeptus, maximè verò apud Cæſarem Ferdinandum, cuius in amicitiam ob præclaram indolem, atq; facinora, & familiaritatem tantam peruenit, vt in tota vita

Fer-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

Ferdinandi, ipſi fuerit chariſsimus. Huiuſmodi multa de ſtudio ac cupiditate, viſendi cognoſcendiq́ alia loca vlyſſeo exemplo, commemorari poſsent, quæ & ſi mea quidem ſententia, non omnino indigna eſſent, vti in literas referrentur, tamen cum nos in hac oratione breuitati ſtudemus, pleraq́ iam omittenda, atq́ in aliud tempus reſeruanda putamus.

Sed cum CHRISTIANVS iuſta naturæ perſoluiſſet, & ex calamitoſæ vitæ huius ærumnis, ad cœleſtem conſuetudinem & beatam immortalitatem euocatus eſſet, FRIDERICVS filius rex deſignatus, ſub idem tempus, coacto vniuerſi regni ſenatu & ordinibus in hac vrbe, quæ metropolis eſt regni, conuentum agebat, vbi quæ ad tuendam & conſeruandam regnorum horum borealium dignitatem, arcendumq́ ſanguinarios ac iuratos Chriſtiani nominis & veræ religionis hoſtes, ac præcipuè ad vindicandam cladem & ignominiam, iam multum diuq́ furore inſolentis & præfracti populi Ditmarſij, prædeceſſoribus ſuis, legitimo magiſtratui, illatam propoſuiſset, acre certè bellum aduerſus Ditmarſios rebellantes ſuſcipiendum, ſummamq́ vim & longe maxi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

mum terrorem huic inſulæ, admouendum, communi Ducum Holſatiæ & huius regni procerum ſuffragio decernitur.

Quare cùm iam Diuus FRIDERICVS, certus eſſet ſe ad imperij habenas diuinitus vocatum, nec ad ocium, luxum, faſtum, ſimilesq; nocentiſſimas Rerumpublicarum & regnorum peſtes natum, ſed potius ad iuſticiam in regnis ſuis exercendam, frenandumq; rebellionis & contumaciæ furorem, in ijs, qui tam ſuo, quàm auorum ſuorum imperio hoſtiliter detrectabant. Certè in eam curam omnes ingenij neruos cogitando intendebat, vt indignum ſuperbiſſimi & inquietiſſimi populi facinus, qui longo iam tempore maiorum ſuorum, pro obſtinata ferocia & arrogantia ſolita, nullius Imperatoris præiudicio, ad parendum vlli magiſtratui, ſe cogi poſſe prædicantes, dictiſq; Principum CHRISTIANI primi, IOHANNIS & FRIDERICI. audientes eſſe nolle. Quorum CHRISTIANVS primus, anno 1474. ſplendida militia Romam inuiſere & Apoſtolorum adire limina volens. In ipſo itinere ad Imperatorem Romanum FRIDERICVM, proauum Caroli quinti declinans, Regioq; more hoſpitaliter exeptus,

poſt-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

poſtquam copioſè de ſtatibus regnorum, deq́; communi Chriſtianorum Republica diſſeruiſſent, tandem Rex Chriſtianus in eum deſcendit ſermonem, vt diceret: eſſe ſuis ditionibus, intra limites Romani Imperij, gentem vicinis oneroſam, nulli parentem: & pro libertate, quam falsò ſibi deſumeret, inſoleſcentem, Ditmarſiam nimirum. Eam ſibi ab Imperiali Maieſtate ſubijci poſtulat, cùm non expediat ſine Principe populum agere: Comitatum quoq́; Holſatiæ atq́; Stormariæ, iuncta ditione Ditmarſiæ in ducatum verti depoſcit. Ad huiuſmodi poſtulata amici regis, non grauatus Imperator, mox annuit, ac comitatus titulum extinguendo, ex tribus memoratis ditionibus, vnum creat ducatum. Hanc donationem FRIDERICI, etiam Carolus quintus, anno partæ per Chriſtum ſalutis, quadrageſimo octauo ſupra mille & quingentos, addito nouo diplomate approbauit & confirmauit. Itaq́; anteq̃ Rex deſignatus FRIDERICVS, Ditmarſis hoſtilia nunciaret, miſſis ſubinde oratoribus pertentantibus, ſi ſine ſanguine dederentur. Quare vbi nullæ tam æquæ & tolerabiles excogitari poterant conditiones, quas, abiecta tandem malitia & feritate mitigata,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

vllo modo ſubeundas ſibi putarent Ditmarſii, neq́ȝ vlla tam effuſa benignitate & indulgentia, ita poterant demulceri atq́ȝ emolliri, vt ad obedientiam legitimo magiſtratui præſtandam flecti poſſent, prouocatus tandem tanta inſolentia hominum agreſtium, rex FRIDERICVS, qui multos ſanè annos, pertinaciſſimis animis, legitimæ ſed moderatæ dominationis iugum repudiantes, iuſtam Dei hominumq́ȝ iram & indignationem in ſe concitauerant, vt diuturnæ peruicatiæ & improbitatis dignas, tandem pænas luerent. Vrgentibus igitur iam vltricibus furijs, dignas ab agreſtibus illis, legum, pietatis, ac omnis modeſtiæ præuaricatoribus, pœnas ſumpſit FRIDERICVS rex deſignatus, quinquageſimo nono poſt anno, hoc eodem menſe Iunio, quo, Regis IOHANNIS copijs, feras animantes, canes, volucresq́ȝ voraces (omni ſepulchri honore denegato) paſſim paſcere ſunt viſi.

Hæc Victoria Sereniſſimi Regis FRIDERICI diuinitus conceſſa, illuſtre teſtimonium erat, & quaſi approbatio ordinariæ & legitimæ adminiſtrationis. Nam ſicut Deus opt. Max. impiæ crudelitatis ſceleratæq́ȝ in magiſtratum perfidiæ, iuſtiſſimus ſemper

per

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

per exiſtit vltor: Ita & Reges ac Principes, qui gerunt cæleſtis numinis vices in terris, mirabiliter munit, regit & adiuuat, vt & illuſtris Dei ſapientia, perſpicué luceat in ordine perſonarum & rerum, ſicut iuſticia in pœnis ſceleratorum, ac bonitas deniq; in conſeruatione ſocietatis. Cæterum huic bello, vix aliud eius generis exemplum æquiparandum inuenitur, præter quàm id, de quo Athenæus ſub finem Sexti ſcribit, referens centum myriadas ſeruorum, qui in Attica & Sicilia à dominis defeciſſent, ac arce in Samo occupata, Atticam vaſtaſſent, vno tempore ferè perÿſſe, Diſcite gentiles iuſticiam moniti, non temnere diuos Principum iuſſus, inquit ille nec immeritò.

Verùm confecto feliciter bello Ditmarſico, anno 1559. eodem anno eò quòd FRIDERICVS electus, fidei merito & poteſtatis gloria, nec non belli victoria, paucos in toto orbe Chriſtiano, videretur habere conſortes, annum iam agens quintum & viceſſimum, omnium votis ac læta congratulatione, cunctisq; ad noui Regis gloriam tripudiantibus, corona regni ſublimatus eſt, plenariamq; horum regnorum adminiſtrationem, atq; ſceptrum immortale virtutis & fidei pignus ſuſcepit.

Hoc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

Hoc auſpicatiſsimum feliciſsimæ coronationis exordium, vix annis effluxis tribus, excepit bellum atrox & diuturnum SVETICVM, quod vt quidem anno 1563. ita anno 1570. 10. decemb. die, poſt multam & aſsiduam legatorum Imperialium, Regis Galliæ, Poloniæ, Saxoniæ, ac aliorum principum, & ciuitatum Imperialium, operam & ſtudium, Deo tandem optimo maximo, hæc regna borealia, miris modis, mora belli deformata, propitijs oculis reſpiciente, alma pace reſtituta, transactum ac compoſitum eſt. De initijs, ac cauſis huius belli, item de forma ac euentu, cùm fortè citra quorundam indignationem moleſtiamq́, multa dici nequeant, nihil amplius addam, cumq́ illa ſint in recenti hominum memoria, neq́ defuturi ſunt, qui publicis literarum monumentis, eadem ad poſteritatis memoriam tranſmittant, ſed potius æternum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, toto pectore & corde, verum pacis authorem & largitorem inuoco, vt inter nos Eccleſiam ſibi colligat & ſeruet in his borealib. regnis, pacem & concordiam, vt vnanimi conſenſione hæc regna coaleſcant, ac officia veræ pietatis fideliter ſibi inuicem communicent, Amen.

Plura

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

Plura adhuc ſunt, quæ in optimi Regis ætatem inciderunt fortia facta, & militaria decora, multaq́; quæ ipſimet contigerunt, quæq́; ab ipſo facta ſunt & geſta. Quædam etiam vltro ceu vulgariora, vt omittenda duximus, ne orationis modum prætergrediar & excedam: ita etiam & illa, aliorum deſcriptioni relinquens, properandum exiſtimo, ad id quod inſtitui. Spero autem, omnes pios candidè iudicantes, ex his paucis aliquo modo agnoſcere & intelligere, poteſtates non tantum fato dari, ſed etiam aliquos Principes, qui regna vel conſtituunt vel mutant, ſingulari quadam ſapientia & virtute à Deo inſtrui, & fatalibus motibus impelli, ac regi, vt ſint felices in gubernatione & ſalutares generi humano. Sic Deus, non tantum FRIDERICVM adoleſcentem regem deſignauit, ſed etiam cor in bonis confirmauit, occaſiones rerum gerendarum monſtrauit, gubernauit eius dexteram, adiuuit euentus, & præbuit ſucceßus, vi alacri animo bellicos & togatos labores ſuſciperet ac ſuſtineret, & gereret res magnas, & ad horum regnorum defenſionem, ſalutares.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

Cùm itaq; ſubactis bellorum ardoribus, pacatisq; omnibus rebus, omnesq; tuti & læti in his regnis viuerent, nullis oppreſsi vectigalibus, nullis obſtricti exactionibus, nullis indictis aut ſuperindictis onerati, Sereniſsimus Rex FRIDERICVS, de poſteritate cogitans, ad nuptias animum conuertit, ac anno 1572. Regina SOPHIA, virtutum decus, & lucerna optimis moribus & exemplis prælucens, regia ſtirpe nata, ac florentiſsimi obotritorum principis, Ducis HVLDARICI filia vnica, in matrimonium poſtulatur, ac eiuſdem anni, 20. Iulij, in vxorem ducitur.

Eas vero nuptias Regali more in hac vrbe peractas, honeſtabat multorum ex Germania, principum præſentia, Aderat HVLDARICVS pater ipſe Sponſæ, AVGVSTVS elector Saxoniæ, Holſati Duces, tum multarum nationum legati. Nec deerant cum muneribus ſuis Ciuitatum oratores. Quippe regem, cuius prouincijs mercatores diuerſantur, non incongruè ſuſpiciebant & venerabantur, ac poſtremò, in huius nouæ Sponſæ gratiam, ſingularisq; clementiæ Symbolum, aperti ſunt carceres, donata venia ſontibus, impunitateq; conceſſa maleficis, vt

taceam

taceam innumera alia reuerentiæ officia, ſingulari fauore per totum hoc regnum, omni magnificentia honorificentiaq́; exhibita. In hoc Coniugio, tanta fuit ϛοργὴ, *tanta dilectio, & animorum conſenſio tanta, vt nullam feminam viro, gratam magis, quàm illam ſuo, nec virum vlli, tam cordi fuiſſe vxori, atq́; illum ſuæ, meritò fateri poſsimus.*

Et cùm procreatio ſobolis, ſit ſingulare Dei donum & coniugij ornamentum, ac ſuaue ſolatium, nec Deo benedicente, infœcundum fuit hoc coniugium, ſed Illuſtriſsima regina SOPHIA, fauſtiſsimis ominibus ſeptem generoſos liberos, peperit, ELIZABETHAM anno 1573. 25. Auguſti natam. ANNAM 1574. 12. decemb. CHRISTIANVM IIII. Regem electum ac Dominum noſtrum clementiſsimum, 1577. April. 12. HVLDARICVM 1578. decemb. 30. AVGVSTINAM, 8. April. 1580. HELLEVIGAM, 1581. Auguſt. 4. Ducem IOHANNEM, 1583. Iulij 26.

Hæc regia ſoboles, Dei ſingulari beneficio, & ſanctiſsimi patris cura, ita educata eſt, ac optimis moribus imbuta, vt quemcunq́; ſexum reſpicias, tam multa de ſe polli-

cetur præclara & excelſa indoles, vt ætatem fama, famam admiratio, admirationem virtus vincat, ſitq́; apud omnes populos expectationis admirandæ, exemplumq́; & ſpeculum omnium virtutum chriſtianarum. ô altiſsimam diuinorum conſiliorum abyſſum, ô infinitam diuinæ bonitatis prouidentiam, ô ſummam clementiam, qui (quod credendum eſt) propter demerita noſtra, conſtitutis nobis inter tot pericula & calamitates, nihilominus tamen abundantibus malis noſtris, ſua abundauit & gratia, & in hac regia ſobole, noſtras miſerias reſpexit, talemq́; ex ea nobis principem in lucem produxit, qui patriam, qui penates, resq́; omnes nutantes & ancipites, omnibus malis, periculis & diſcriminibus, ſit liberaturus. Tu enim ille es CHRISTIANE *quarte, qui per ſingulos virtutum gradus, in præclara illa adoleſcentiæ indole, maiori cum ratione, conſilioq́; inſurgis, ac magis magisq́; inclareſcere incipis. Non ergo malè de te hoc vſurpamus, quod olim de ſuis ille cecinit:*

Qualis Sydereæ ſub luſtri noctis in vmbra
Heſperus, aſtrorum decus & pulcherrimus ignis
Emicat apparens.

Sed

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

Sed iam inſtituam ſermonem de virtutibus Sereniſſimi Regis noſtri, quibus nonnunquam innectam res geſtas, vt inde cognoſcamus & noſtra commoda, & quantum debeamus optimo Regi,

Etſi autem alia exempla, alijs conueniant, & quædam virtutes ſint Principum propriæ, non communes priuatis: tamen cùm multæ quoq́ ſint virtutes, in illuſtribus perſonis, quarum conſideratio, ſingulis ad commonefactionem prodeſt, iam paucas ex multis attingam. Nam ſi ſingulas qui in eo rege, heroicæ virtutes fuerunt, hîc enumerare vellem, profecto nullum oratio inuentura eſſet exitum.

Præcipua igitur virtus optimi Regis noſtri, ex qua vera ſapientia, & rectitudo omnium conſiliorum & actionum, in tota vita emanauit, fuit Timor Dei, intellectus, & amor cœleſtis doctrinæ. Hac virtute inflammatum optimum eius pectus, non ignorauit eius maieſtas, ideo magiſtratus reliquæ ſocietati humanæ diuinitus præfectos eſſe, vt Dei gloriam ornent, & doctrinam veræ pietatis propagent. Quare primum ipſe ſingulari ſtudio doctrinam de Deo, & Filio eius Domino noſtro IESV CHRISTO didi-

cit, nec ſolum ſtudioſé docentes in Eccleſia audiuit, ſed etiam libros Spiritus ſancti inſtinctu, à Prophetis & Apoſtolis ſcriptos, & eruditorum explicationes auidiſſimè legit. Itaq; ſummam cœleſtis doctrinæ ita mente complexus eſt, vt conſenſum catholicæ Eccleſiæ noſſet, & vero iudicio ac toto pectore amplecteretur.

Et quia magna eſt, ad variarum rerum conſiderationem in lectione, cùm profanorum authorum, ac imprimis ſacrarum literarum ἐνέργεια, vnde & Demetrius Phalereus, vt eſt apud Plutarchum, Ptolomæum Regem monere ſolebat, vt libros de regum officio conſcriptos, ſtudioſè lectitaret, in illis enim multa contineri, quæ amici monere non auderent. Nec hiſtoriæ Scipionem Africanum tacent, quòd inſtitutionem Cyri à Zenophonte conſcriptam, nunquam è manibus depoſuerit. Poſſem multa recitare, de diligentia Auguſti & Alexandri Magni, ſummi Monarchæ, deq; multis alijs, ſed relictis incredulis illis, ſapientiam affectantibus ventoſam, certè mentionem potius faciam chriſtianorum Principum. Inter quos præcipuè Theodoſius ſecundus celebratur, qui propria manu libros noui Teſtamenti transſcripſit,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

ſit, ac eorum etiam aliquam partem quotidie legit. Nec etiam literarum Elogijs caret Alphonſus, Rex Neapolitanus, qui Biblia Sacra, vna cum gloſſa, (vt vocant) ordinaria, quater decies diligenter perlegiſſe, fertur, adeo, vt non modo hiſtorias præcipuas: Sed etiam multas paginas, de verbo ad verbum, memoriter recitare potuerit, & tamen diem, quo nihil legiſſet, ſibi turpiter perijſſe dolebat.

Ac tanta, ſi non maiori diligentia erat FRIDERICVS II. qui plurimum temporis, ſacræ lectioni Bibliorum quotidie tribuebat, & ſimul ſcripta, ſancti patris LVTHERI, ac aliorum piorum diligenter inſpexit: idq́ ea felicitate, vt magnos paulatim, in vera pietate progreſſus faceret, & in æſtu tentationum ac periculorum, efficatiam Euangelij ſentiens, frequenter dulciſſimum cœleſtis gratiæ nectar viſitans, mirificè ſe eo recrearet.

Ac memorabile ſanè, ſanctiſſimi ac optimi Regis, de verbis Teſtamenti dominici iudicium fertur. Qui audiens, à multis in controuerſiam vocari illum articulum, ac iam proximis his annis infinitas diſputationes, necnon tam Theologorum, quàm alio-

rum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

rum hominum, funeſta certamina, plurimùm obſtitiſſe propagationi cœleſtis doctrinæ, & vires ac incrementa, impio regno pontificio, adieciſſe incredibilia. Subinde has voces ingeminauit: Ego ſané (inquit) ex hac dulci κοινωνίᾳ, *ingentis conſolationis ac lætitiæ ſpiritualis, flammas corde meo percipio. Huiuſmodi motus non dubito, eſſe præſentiæ Filij Dei, imo totius trinitatis vera & non fallacia effecta. ô ſanctam caſtiſſimi pectoris confeſſionem. ô ſimplicem & regiam veritatem, non putidis & fæculentis hominum commentis, non gloſſis nec interpretationibus obſcuris, aut impijs turbatam, ac deniq́ non humanarum traditionum vappa male dilutam. Hanc ſimplicem & credulam fidem, vtinam omnes non modo Principes, ſed & ſinguli cuiuscunq́ loci & ordinis homines, imis pectoribus infigerent, profectò plus concordiæ ac minus turbarum iam haberent Eccleſiæ Chriſti,* Curioſitas certè noſtra, nos ſæpè impedit in lectione ſcripturarum, quum volumus intelligere & decutere, vbi ſimpliciter eſſet transeundum,

Sed tantum optimus Rex, crebra piorum & vtilium ſcriptorum lectione profecit, vt mentem ſacris verbi diuini Sententijs, &

præ-

præceptis vitæ, quàm optimè formatam haberet.

Nec omnes omnium fanaticorum opiniones, vbicunq; ſparſas admiſit, vel miratus eſt, nec more Academico in controuerſiis de religione, aſſentionem, cohibuit: Sed hanc ſolam eſſe veram, æternam & immotam ſententiam, de Dei eſſentia & voluntate ſtatuit, quæ cum vniuerſo conſenſu ſcripturæ, Prophetarum, Patrum & Apoſtolorum congrueret, & illuſtribus teſtimoniјs in Eccleſia patefacta & propagata eſſet, atq; in his regnorum borealium Eccleſiis, cùm patre ſuo optimo regnante, tum ſuo tempore Dei beneficio ſonaret. Huic ſoli firmiſſima fide aſſentiebatur. Huius cogitatione, ſe ad inuocationem, confeſſionem, & aliarum virtutum in gubernatione neceſſariarum officia, exuſcitabat. Hanc velut gubernaculum, omnibus Conſiliis & actionibus, in tota adminiſtratione ſui imperij præficiebat. Hanc velut ſacram ancoram, in omnibus periculis eſſe ducebat.

Ideoq; cùm ſciret maieſtatem ſuam, ſubditis ſuæ curæ ac fidei commiſſis, nullum aliud poſſe beneficium amplius impertiri, quàm veræ pietatis doctrinam, qua de vera

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

Dei agnitione, & vita æterna erudirentur, cumq́; ſimul in exempla laudatiſsimorum heroum, CYRI, CONSTANTINI, THEODOSII, DAVIDIS, IOSAPHAT, EZECHIÆ intueretur, omni diligentia, ſtudio & labore curauit recte conſtitui Eccleſias, tolli controuerſias & certamina, proponi ſimplicem & piam doctrinam ac interpretationem ſcripturarum, erudiri populum de veris vitæ officijs. Adhæc, cùm animaduerteret, Eccleſias, Scholas paſsim apud exteros, turbatas ac diſsipatas, multorum rixis & contentionibus, maximé operam dabat, vt vna, vera & conſentiens docentium vox eſſet in omnibus his Eccleſiis & Scholis, & ne locus vllus pateret ſpargentibus, vel de Sacramentis, vel aliis religionis articulis, opiniones fanaticas.

Quod autem Plato inquit, Principes rerum publicarum præcipuè hoc efficere debere, vt ciues & beati ſint, & inter ſe amici, ad hanc rem in his regnis & Eccleſiis, plurimum attulit hæc docẽtium concordia & pia illa ſimplex doctrinæ forma quæ & ambigentes animos confirmauit, & concordiam ac tranquillitatem Eccleſiæ aluit, miſeraſq́; ac afflictas conſcientias mirificè muniuit. Huius ſum-

mi

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

mi inter ſubditos ſuos beneficij, non ſolum author fuit optimus Rex, ſed etiam acerrimus vſq; ad extremum vitæ halitum, conſeruator ac propugnator, adeo, vt ſeditioſis & fanaticis hominibus, qui & nefarias θεομαχίασ ſpargunt in Eccleſia, & de rebus ciuilibus falſas ſerunt opiniones, & pernicioſas religioni ac ciuili hominum ſocietati, infenſiſſimus toto gubernationis tempore, inimicus ac hoſtis extiterit.

Etſi autem eximia fuerit pietas huius Regis, ſtudium iuuandæ & ornandæ religionis chriſtianæ, iuſticia in imperio, pacis tuendæ cura, clementia deniq; ac bonitas mirifica: tamen cùm nullus ſit qui non peccet, & multa ſunt quæ ad peccandum irritent, imò fragilitas carnis, qua induti ſumus, adeo ſubiecta eſt peccato, vt niſi huic neceſſitati Deus parceret, nimium fortaſſe pauci viuerent, huius neceſſitatis & communis fragilitatis memor optimus Rex, aduertens quoq́; propter peccata hominum, non ſaltem regnorum vaſtationes, bella, rerum omnium inopiam, diuinitus permitti, ſed Deum quoq́; ſubinde, de gente in gentem, imò de ſtirpe in ſtirpem transferre Regna.

Quare vt felix eſſet gubernationis curſus, & impendentes calamitates, non tam à ſe, quàm ab omnibus & ſingulis, in his ſuis regnis auerteret ſubditis, tanquam φιλόστοργοσ *pater, dies rogationum, & litanias publicas, per vniuerſum hoc regnum, ſingulis ferè annis, inſtituit, quibus non ſecus ac olim Niniuitarum Rex, ipſe Diuus* FRIDERICVS, *alios exemplo haud contemnendo anteire contenderet, numenq́; cœleſte ſuppliciter, ſi quid indignum ſuo gradu, admiſerit, ſiue qua in re deliquerit, exoraret, gratias quoq́; ageret, quòd eo vſq́; Deus ſuſtinuerit eum ſuo præſidio, ſtatumq́; ſui regni incolumem ſeruarit, ac deniq́; impoſterum quoq́; à Deo peteret ſpiritum prudentiæ & fortitudinis.*

Huius pietatis exercitia, non ita fuerunt irrita & fruſtranea, quin & regi & regni incolis, imò omnibus nobis, commoda afferrent plurima. Hinc enim pax diuturna, hinc propagatio Eccleſiarum & Scholarum, hinc quoq́; diuinis benedictionibus florentiſsimum regnum reliquit. Hanc optimi Regis pietatem, non tam nos exoſculamur, qui Dei bonitate, huiuſmodi beneficiȳs gaudemus, ſed mirantur exteri, ac maximè ſapien-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

pientiæ & iuſticiæ opinione, clari & ſpectati viri, ſummis Encomijs prædicant, & conſtanter aſſeuerant, ſe nunquam ſimilia veterum regum & Imperatorum, nedum maiora vidiſſe pietatis exercitia, vt taceam, quod ſæpè in peregrinis Academijs audiui, clariſſimos viros, Academiarum patres, ſtatum Eccleſiarum noſtrarum, non ſine læta gratulatione prædicare, & ſocietati fidelium comparare, quæ tempore Chriſti, verſantis in palæſtina ac docentis, fuit in Capernao.

Ex hac ſanctiſſimi Regis, erga Eccleſiam Dei & Rempub. ſuam, mira ſolicitudine, manifeſtum eſt, multum eos de dignitate & officio magiſtratus detrahere, qui dicunt magiſtratum velut armentarium, tantum corpora & ventres populi, curare debere, id eſt, tantum horum præceptorum cuſtodem eſſe: Non occides, &, non furaberis. Sed longè aliter iudicauit Diuus FRIDERICVS, qui ideo ſciebat ſe diuinitus præpoſitum fuiſſe cæteris hominibus, vt ſonaret præcipuè vocem legis diuinæ de Deo, & vinculis ſocietatis humanæ, & oſtenderet diſcrimen, iuſticiæ & iniuſticiæ, primum quidem voce, deinde & factis, tolleret è medio reos ſcele-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

rum, & protegeret iuſtos. Hæc ſapientia non fuit ventris ſagina, ſed monſtratrix veri Dei, prudentia & Zelus in tollendis inſanabilibus, vigilantia in protegendis obedientibus, & paterna στοργὴ *ac miſericordia, erga hanc imbecillem partem generis humani, videlicet modeſtam, quam mirificè complectebatur & fouebat.*

Cùm autem nulla trophæa magis optanda ſunt, magnis & ſapientibus Regibus, quàm vt cœleſti voce, tribuatur eis hæc ſuauiſſima appellatio, vt prædicentur Eccleſiæ Chriſti nutricij, ſanè ad hunc Regem, tamq̃ ad communem quendam nutricium ſeneſcentis Eccleſiæ, non tantum ſubditi, ſed etiam vicini & exteri, ac maximè propter Euangelij confeſſionem, pontificum rabie, bonis omnibus exuti & profligati confugerunt. His omnibus ita ſeſe exhibuit, vt iuxta Syracidem, fuerit pupillis vt pater, & vt Nazianzenus loquitur, ἄρτος πεινῶσι, χιτὼν γυμνοῖς, πατὴρ ὀρφανοῖς, λιμὴν τοῖς ἐν ζάλῃ, *id eſt, panis eſurientibus, tunica nudis, pater pupillis, pontus tempeſtate exilij iactatis, deniq́; non poteſt quicquam tam magnificè dici, id pietas & munificentia, quin ſuperet optimi Regis.*

Præ-

Præcipuè etiam pietatem ſuam declarauit Regia eius maieſtas, erga Eccleſiarum & Euangelij miniſtros, quorum reditus annuos non ſolum ordinauit & auxit: Sed etiam certis literis & legibus interdixit, ne vel agri, paſcua, decimæ & prouentus, prædeceſſorum ſuorum clementia, ad ſuſtentationem miniſtrorum, vel reparationem ſacrorum ædificiorum contributi, temporumq́; ac hominum iniuria abalienati, & in alios vſus diſtracti, vllo modo ſine ligitimo vſu hærerent, ſed ſtatim ſine vlla contradictione veris vſibus cederent. Similem quoq; munificentiam, experti ſunt, non tam verbi miniſtri, quàm Eccleſiarum cantores & Scholarum particularium moderatores, quorum conditiones tenuiores eſſent, quàm vt ſe & ſuos, liberaliter & honeſtè alerent, quibus vel ex regiis decimis, vel ærario Regio abundè proſpectum eſt.

Adhæc, cùm maieſtas eius, optimè teneret Eccleſiarum cum Scholis neceſſariam eſſe coniunctionem, eamq́; talem, vt altera alteri, officioſas ſemper præbeat manus, & illæ mutuis auxilijs præſidijsq́;, ſe inuicem ſuſtineant & tueantur, ſuosq́; labores & communia coniunctaq́; ſtudia, ad vnum ornandæ

glo-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

gloriæ Dei finem, referant, ſic vt earum operæ & facultates copioſæ, teſtimonia ſint de Deo, & adminicula in explicatione cœleſtis doctrinæ, nerui quoq; politicæ ſocietatis, ac deniq; ornamenta atq; præſidia totius vitæ humanæ, certè hæc conſiderans eius maieſtas, ac intelligens, ampliſsimi ſui nominis laudem, non poſſe rectius ad omnem poſteritatem propagari, vel de Eccleſia Dei, de rebus publicis, de ſubditis ſuis, & omnium conditionum fortunarumq; hominibus, præclarius mereri, quàm ſi Academiam hanc, per proaui ſui CHRISTIERNI primi, aquilonarium regnorum Regis clariſsimi, ſingularem erga literas propenſionem, & SIXTI Pontificis maximi, ac deniq; FRIDERICI Imperatoris, anno 1473. datis omnibus Priuilegijs, quæ Academiis earumq; alumnis debentur, indulgentiam & eximiam gratiam, conceſſam & fundatam, atq; ab auo, ac præcipuè patre, CHRISTIANO III. multis rebus auctam & ornatam, ſibiq; vt ſingulare depoſitum, & harum regionum inſigne ornamentum commiſſam, qua poſſet fide, cura & benignitate iuuaret, amplificaret & conſeruaret. Ac cùm eſſet veræ ſyncerioriſq; religionis aman-

tiſsi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

tiſſimus, & paterno animo veritatem cœleſtem, melioresq́ artes atq́ literas docentes complecteretur, & ſubditis omnibus optimè honeſtiſſimeq́ cuperet, & audiret cùm in Academia hac, tùm in cæteris Scholis, pietatis doctrinam & meliores artes rectè doceri, iuuentutem piè & liberaliter in illis, ad honeſtatem & morum probitatem, erudiri & exerceri, educari quoq́ & quaſi ſuccreſcere cultu & opera piorum magiſtrorum eos, qui aliquando patriam hanc ſuam, & Eccleſias ac Scholas, ſapientibus conſiliis, vera pietate, erudita de Deo doctrina, eſſent adiuturi, & pietatis ac religionis præſidia futuri.

De his tantis rebus cogitans, & ſecum ſollicitè deliberans, & ſi ipſe pro ſumma ſapientia facilè videret, quid facto opus eſſet, in Eccleſiis & Schola hac iuuandis & ſtabiliendis, nihilominus tamen, vt procerum ſuorum et Senatorum regni huius, conſilia audiret, & ſtudia atq́ voluntatem eorum cognoſceret, certè ferueſcente iam ſummo belli Suetici furore, nec bellum initum, nec ampliſſimæ aliæ curæ, tam honeſto propoſito obſiſtere, uel animum pietatis ac ſapientiæ amore, flagrantem retardare potuerunt, ſed horum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

regnorum magnates conuocauit, & in ampliſsimo eorum conſeſſu & panegyri, cùm grauiſsimæ res in deliberationem adhiberentur, voluit inter prima omnis conſultationis, ea quæ proponebantur capita eſſe, communicationem ac conſenſionem, de Schola hac adiuuanda & conſeruanda.

Hîc dici non poteſt, quanto omnium aſſenſu & applauſu, in hanc ſit itum ſententiam, & decretum ſit factum, nihil æquè decere Regem & Principem virum, nihilq́; magis ex patriæ huius vtilitate eſſe poſſe, quàm ipſum ad Eccleſiarum & Academiæ conſeruationem & ſalutem, conſilia prima referre, & quas poſſet facultates liberaliter conferre: Eſtq́; ab ipſo vna voce, vnaq́; conſenſione ſubmiſſè petitum, vt harum ornandarum primam & ſummam curam ſuſciperet.

In his autem deliberationibus & conſiliorum agitationibus, cùm cognouiſſet ſtipendia Doctorum minora eſſe, quàm eorum conditiones, familiæ & tempora ferrent, non ſolùm profeſſoribus ampliora & magis honorifica ſtipendia, ſingulis danda curauit: Sed etiam cùm animaduerteret Sapientiſsimus Heros, in hac Academia, & aliis horum

reg-

regnorum Scholis, viuere adoleſcentes multos, præclaris ingenijs præditos, de quibus Eccleſiæ & Reipub. ſumma polliceri ſibi poſſent, amantes quidem illos rectorum ſtudiorum, & magna ſpe, conſequendæ eruditionis ſpectatæ: Sed his noſtri ſeculi difficultatibus & inopia, domeſticæq; rei anguſtia, ſic impediri, vt & de illis, multi tanquam in herbis pereant, alij verò admodum difficulter, ad aliquam bonam frugem perueniant: quorum inopiæ atq; indigentiæ, opem ferendam, & maturè ſuccurrendum Regia clementia, non indigna benignitate prudenter & piè ſtatuit. Hoc modo præuidit effici poſſe, vt ſemper habeatur mediocris cœtus diſcentium in hac Schola, in qua tanquam in amœniſsimo & varietate doctrinarum, pulchrè & diligenter exculto, irrigatoq; hortulo, regnis his, multi ſuccreſcerent & educarentur doctores & miniſtri, qui cùm maturitatem eſſent aſſequuti, vtiliter decerperentur.

Voluit itaq; clementia eius & regijs ſumptibus, in reliqua diſcipulorum multitudine, in hac Academia ali & inſtitui centum adoleſcentes, ex his oppidis & ſuis regnis huc miſſos, delectos, pauperes, bonæ ſpei & induſtriæ pios & diligentes, & primarum artium initia ſecum adferentes.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

In horum vſum & victum quotidianum & ſufficientem, quantum erogauit, notius eſſe credo, quàm vt hoc loco referatur. Ac præter hunc numerum, etiam quatuor alios artium bonarum Magiſtros, in exteris alit nationibus, quorum tres ſacris rebus & literis potiſsimum dare operam, inq́; illis aſsiduè exerceri voluit ipſius R. M. ne Eccleſiæ noſtræ & Scholæ aliquando miniſtris & doctoribus deſtituantur. Præuidemus enim futuras perſecutiones, pericula, & cruces piorum, quas timemus tantas fore, vt paſsim deuaſtatis & euerſis Eccleſiis, vix domeſticos Doctores poſteri noſtri ſint habituri.

Hæc beneficia Regis noſtri conſiderantes, diram improbitatem inexorabilis mortis, meritò accuſamus, dolemusq́; ac eiulamus, tam clementem ac bonum principem, nobis miſeris ereptum, cuius beneficio inſtaurata, & à corruptelis falſæ doctrinæ vindicata, rectè floret hæc Schola, omnium artium liberalium, ſanctarum linguarum, ſanarumq́; doctrinarum vigore, floret, & ampliſsimo diſcentium numero, floret deniq́; doctrina & virtute præſtantiſsimis viris, quorum opera diſciplinæ omnes rectè propagantur, & diſ-

cen-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

centium cœtus in omnibus bonis piè eruditur.

Nec tantum hanc Scholam, eius beneficio ſeruatam & auctam, ſed etiam reliquas particulares Scholas, in ſingulis regni oppidis, eius regia liberalitate, plurimum incrementi atq; ornamenti ſumpſiſſe videmus. Quid dicam de nouo ac regio gymnaſio SORENSI, diuino eius beneficio, iam proximo anno fundato, perpetuisq́; reditibus conſeruando & ſtabiliendo? Hoc diuinum factum, certè nemo eſt, niſi omnino ſit vecors, qui non ſummis laudibus ornandum, in cœlum verbis extollendum, & apud omnem poſteritatem glorioſè prædicandum, & nunquam intermoritura memoria, celebrandum eſſe non ducat?

Nec minus pupilli, viduæ, egentes ſinguli & omnes, ſimilem beneficentiam dignis laudibus proſequuntur, quibus non tam in hac regni Metropoli, ingentem nummorum ſummam, ante paucos annos ita legauit, vt perpetuò, ſalua ſorte, annuatim fructus ipſis cedant: Sed etiam paſſim in aliјs vrbibus, vel detrimentorum incurſu quaſſatis, vel paupertate preſſis, aut deniq; alimenti inopia laborantibus, varia ſolatia erogaret, nemi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

nemq́ ſuæ munificentiæ expertem, triſtem aut reiectum, à ſua maieſtate diſcedere permitteret. Quid multa? exulibus omnibus, non mortalem aliquem, ſed propitiæ fortunæ benignum eſſe diceres ſinum, *ita vt recte in eum, quadret illud Tiberij Imperatoris, qui cùm reprehenderetur, quòd ærarium eleemoſynis exhauriret, reſpondiſſe fertur: nunquam defuturum regio fiſco, quamdiu pauperes eleemoſynas accepturi eſſent.*

Ac profectò, quod Tertullianus in Apologetico, de AVGVSTO Imperatore ſcribit, illum non voluiſſe Dominum, ſed patrem appellari, quòd illud ſit nomen Poteſtatis, hoc pietatis, nec etiam malè competit in hunc Regem optimum, qui ſimilem affectionem, erga omnium ordinum ſubditos, mirificè aluit, qui ſemper apertus, veritatis cultor, fraudiſq́ inimicus extitit, tumultus omnes ſedauit, priuatas nobilium inimicitias ſuſtulit, contentiones in omnibus ſtatibus pacificauit, ſuſpiciones omnes abſtulit, obſequium ciuitatum, beneuolentiamq́ ruſticorum inter ſe conciliauit, rem omnem ita compoſuit, vt & optimatum dignitatem non minuerit, & ſubditos à potentum

vio-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

violentis concuſsionibus tutos conſeruauerit. Veſtram quoq́ ô Nobiles dignitatem, quo ſtudio defenderit atq́ auxerit, fortunata illa ordinis veſtri conditio, abunde teſtatur. Ac deniq́ ad finium cuſtodiam conuerſus, quicquid animo, quicquid factis, quicquid lingua geſsit admirabile eſt, & ad cumulum laudis ampliſsimum. Nam recenſendo arces, diſtribuendo præſidia, recognoſcendo præfecturas, nullum tempus, nullamq́ horam, agitatione ſtudij ac diligentiæ vacuam prætermiſit, priuſquam arces & munimenta ab hoſtibus irruta & incenſa reficeret, munitiora, turribus & mœnibus oppida, ſuis ordinibus inſtrueret: Nullos adhæc labores, nullas occupationes, nullas moleſtias declinauit, nullis conſultationibus, nullis interponendis decretis defuit, omni tempore pro patria, pro republica impeditiſsimus, quouſq́ omnia compleret, ac etiam res ipſæ me tacente, probant ipſius induſtriam, ac imprimis arx illa CRONEBVRGENSIS, mœnibus, turribus, foſsis, propugnaculis, munitiſsima, copia rerum, viribusq́ inſtructiſsima, quæ non à noſtris, ſed peregrinis & hoſpitibus, facilè inter ſeptem mundi mirabilia numeratur, re ipſa inquam, exactiſsi-

mam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

mam induſtriæ laudem in Rege FRIDE-RICO commendat. Et vt multa paucis complectar, ſi quis hoc tempore Principum alius, certe Rex, FRIDERICVS ἐθελόν-των, vt in œconomico dicit Xenophon ἦρξε, hoc eſt, volentibus imperauit. Amabant eum ſui ſinguli & omnes, ac præter doctos, ciues, ruſticos, peregrinos, imprimis genero-ſi & nobiles viri, quorum obſeruantiam & beneuolentiam, ſuam gloriam, ac illo-rum ſalute ſuam contineri exiſtimabat. Hi-larem apud eos magis quàm elatum, comem potius quàm faſtuoſum ſeſe gerens.

Erat quoq́ in hoc Rege, quoddam tem-peramentum ſeueritatis atq́ clementiæ, vt nunquam à iuſticia miſericordiam nec vn-quam à miſericordia iuſticiam remitteret, omnibus reddendo iure, & libellis ſua ma-nu ſubſcribendo promptiſſimus. Diligens fuit in conſultando, cum Senatoribus ſæpè de rebus maioribus, nonnunquam etiam cum externarum gentium legatis deliberando, quæ ad publicam pacem & Reipublicæ ſalu-tem conducere videbantur. Omnibus ſem-per maioribus & minoribus, clementem & manſuetum ſeſe exhibebat, hoſpites & ex-ternos legatos, oratoresq́ magnificentiſſimè exipi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

excipiebat: Victus aulæ ſuæ largus & rerum omnium affluentiſſimus. Neq; verò poſtremum inter laudes eius repoſuero, naturæ eximias dotes, & quòd erat vox illi ſonora, expedita lingua, promptum ingenium fluens & elegans ſermo, grauis & ſententioſa oratio. Fuit præterea vultu decens, ingenio ſolers, animo grauis, ſanctus domi, in armis fortis, vtrobiq; prudens. Nec quemquam veſtrum eſſe arbitror, cui non ſint hæc iam pridem cognita.

Fuerunt etiam olim eximij Imperatotores & Reges, quorum pietas & ſtudium pro religione propaganda, cura erga Scholas & Eccleſias, clementia in ſubditos, & ſimiles virtutes, mirificis Elogijs decantantur. In horum catalogo non poſtremus erat CAROLVS MAGNVS, qui Saxoniam Idolis ſeruientem, primus ad religionem Chriſtianam adduxit, & vt conſeruari ac latè ſpargi doctrina Euangelij poſſet, aliquot in ea Epiſcopatus condidit, ibiq; viris piis ac doctis, commendauit etiam inter vicinas gentes Ethnicas, propagationem cœleſtis doctrinæ. Et ne deeſſent Eccleſiis idonei miniſtri, addidit Epiſcopis collegia canonicorum, quæ eſſent velut Scholæ Theologicæ, in quibus homines

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

modeſti erudirentur, cùm, verbo Dei tum alijs artibus ac linguis, quæ docentibus in Eccleſia ſunt neceſſariæ. Ac fuiſſe primos illos Saxonicos Epiſcopos, egregios Doctores Euangelij, ac præſtantes viros, ornatos ſpiritus ſancti teſtimonijs, adeoq́; verè pios Epiſcopos, & hoc nomine dignos, vt Ansgarium Hamburgenſem, & ſimiles, reſipſa oſtendit. Nam doctrinam Euangelij, ſummo ſuo cum periculo, inter idololatricas gentes, in Saxonia, hac noſtra patria, Noruagia, Suecia, Friſia, & inter Slauos circumtulerunt, & plurimos adduxerunt ad agnitionem Filij Dei. Talium ingentium bonorum author fuit CAROLVS MAGNVS, & ob hoc, meritò commendatur ab omni poſteritate.

Quid dicam de alijs potentiſsimis Regibus atq́; Monarchis? quos non puduit ipſos in gymnaſia itare, doctiſsimos præceptores liberaliter alere, & reuerenter attenteq́; audire, & difficilimarum gubernationum adminicula, ex literis doctorumq́; ſcriptis aſſumere: neq́; ignota eſt multorum excellens doctrina, omitto Ethnicos & Græcos.

De THEODOSIO autem, quàm fuerit ſuauioris doctrinæ, bonarumq́; diſciplinarum amans, paſsim narratur. CONSTAN-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

STANTINVS quoq́ liberaliter habuit viros doctos, Scholas inſtituit, & profeſſoribus ampla ſtipendia dari iuſſit.

Tales Principes meritò laudibus euehuntur, ac cùm feliciter & optimè, in Eccleſiarum, Scholarum, pauperum, orphanorum & viduarum curam incubuerint, rectè pronunciamus, eos, quod vt ipſorum functio honeſtiſſima, & dignitas ampliſſima requirebat, cum omnium bonorum approbatione & perpetua nominis, factiq́ ſui memoria & celebratione feciſſe.

Hæc ampliſſima ſunt eorum Encomia, ſed ſiue pietatem ſpectes, ſiue conſeruationem cœleſtis doctrinæ, ſiue clementiam ac indulgentiam in miſeros & afflictos, ſiue deniq́ pacis tranquillitatisq́ ſtudium, inuenies certè Diuum FRIDERICVM, his clariſſimis Imperatoribus, ſi non ſuperiorem, at ſanè his parem, maximeq́ cum eis conferendum.

Non ego delector hyperbolicis narrationibus, quæ rem immodicè exaggerant & amplificant: Sed cùm Spiritus ſanctus, dignitatem piorum Principum ac Regum, longè maioris gloriæ accenſione, quàm quæ hominum orationibus comparari poteſt, auget & cumulat. Pſal: 47. in quo hæc verba leguntur:

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

tur: Principes populorum congregantur cum populo, Dei Abraham, & Deus à ſcutis terræ vehementer exaltatur. Vbi prædicit Spiritus ſanctus, ſemper aliquos Reges & Principes, fore ſocios veræ Eccleſiæ, & electos ad ſalutem æternam, & omni officio atq; pietate propagationem doctrinæ, & collectionem Eccleſiæ adiuturos eſſe. Talem in hac mundi ſenecta, fuiſſe Sereniſsimum Regem noſtrum, ſine vlla ſuſpicionis adulatione, verè affirmare poſſum. Etenim ſi in comparationem veniamus, cum priſcis Danorum Regibus, certè nulla non ſecula nobis ceſſura ſunt. Nam ſi priſci Danorum Reges laudantur, quos aut ædificia ſacra extruxiſſe, aut collegia & alios cœtus ſcholaſticos inſtituiſſe, aut quoquo pacto Reipublicæ Danicæ & religioni Chriſtianæ, ornamento vel adiumento fuiſſe proditum eſt, quis dubitat, examinatis rebus, propter quas laudari meruerunt, non longo interuallo FRIDERICO II. omnes illos poſtponendos eſſe?

Magnum extat apud Helmodium preſbyterum, HARALDI ſeptimi, GORMONIS tertij filij Encomion, quo vocat eum Chriſtianiſsimum Regem, aſſerit quoq; non ſurrexiſſe ſimilem ei, inter omnes Reges

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

Danorum, qui tantam Aquilonis latitudinem, ad fidem cognitionis veri Dei traxerit, ac poſtremò adſcribit eum non ſolum inter Deo dignos Reges, ſed etiam inter glorioſos Martyres, quòd à filio perfido & Apoſtata Zuenottone, ob profeſſionem & propagationem nominis Chriſti, postquam regnaſſet annos, 50 regno & vita priuatus eſſet.

Commendatur quoq; à Saxone noſtro CANVTVS quartus, qui anno Chriſti 1078. propter ſtudium prouehendi & conſeruandi miniſterium verbi, Othoniæ, cùm ante aram pronus ſeſe Deo commendaret, in Æde diui Albani miſerè trucidatus eſt.

Nec Cranzius diſſimulat, magni iſtius Danorum Regis Gotrici, eximiam liberalitatem, qua, profuſione potiùs quàm liberalitate, cunctos terrarum Reges ſuperauit, maximamq; apud omnes, ſui nominis famam & exiſtimationem concitauit.

Poſſem ſi tempus ferret, multa commemorare, de Regibus Danorum, ac imprimis de WALDEMARO primo, Rege etiam DANORVM clariſſimo, cuius optimum propoſitum, ac ſtudium propagandæ religionis, ideo ab hiſtoricis diligenter eſt annotatum, quòd optimus Rex, à nullis neq; laboribus,

bus, neq́; periculis & moleſtijs vnquam abſtineret, quoadusq́; gentem Wandalorum Chriſtianis ſacris adigeret, ſimulq́; prædandi in mari & inſulis horum Regnorum, finem facerent. Ac maximè commemoratione dignus eſt, huius Regis ardens in Deum & pietatem ſynceram feruor. Nam videns optimus Rex, Idolum SVANTEVITVM, quod vsq́; ad FRIDERICI primi ac ſua tempora, apud Rugios nunquam eradicari aut euerti potuerit, & in eius templum vniuerſam wandaliam, annuatim tributa conferre maxima, ſimiliter & mercatores, quorum maximus numerus eò quotannis, propter halecum prehenſionem capturamq́;, quæ tunc apud Rugienſes, ſicut nunc (Dei beneficio) in Noruagia, ac olim in Schania erat copioſa, certè deteſtatus craſſam hanc idololatriam, ac barbaram ſuperſtitionem, tandem hunc dæmonem depulit & eiecit, templumq́; incendit, atq́; Idolum prorſus aboleuit, incolasq́; Rugiæ, per Abſolonem Epiſcopum Roſchildenſem, vera de Deo doctrina, lauacro regenerationis communicato erudiuit, ac in conſortium fidelium Chriſtianorum aſſociari curauit, datis ingentibus in ædificia templorum & alia ſacra ſumptibus.

Hæc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

Hæc & ſi quæ ſunt ſimilia Regum Danorum geſta, & pietatis ac virtutum documenta, magna eſſe & eximia fidei ac pietatis indicia quis non videt? aut quis tam ſupinus, tam ſtupidus ac impudens, vt præſtantes Reges debita laude fraudare velit? Verùm ſi quis temporum rationem & collationem inſtituat accuratam, ſanè in multis deprehendet, his & ſimilibus alijs, optimum Regem FRIDERICVM II. in infinitum præferendum. Nam etſi pio optimorum horum Regum ſtudio, ſubinde latius in hac boreali mundi plaga, Euangelium ſit diſſeminatum, & Eccleſiæ ſint conſtitutæ, tamen multas ſuperſtitiones, receperunt, pugnantes cum verbo Dei, & Propheticæ atq; Apoſtolicæ doctrinæ conſenſu.

Etenim in collegijs & reliquis Eccleſiis, paulatim fraude Diaboli & Epiſcoporum ac Regum negligentia, pro vera religione, obrepſerunt variæ ſuperſtitiones, de votis, de cœlibatu, quibus adde, inuocationem ſanctorum, profanationem cœnæ Domini & ſimiles infinitas nænias, quas amplectentes reges, tyrannidem pontificiam mirum in modum confirmarunt & ſtabilierunt. Taceo optimos Reges, doctrina de operum fiducia

decep-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

deceptos, multa merendi ſtudio feciſſe, imò exortis Monachorum agminibus, penè infinitis, quibus, adeoq́; omnibus pontificijs, ampliores, quàm decuit honores, etiam à ſummis regibus & principibus exhibitos fuiſſe.

Cæterùm FRIDERICVS II. vnà cum patre & auo, ereptus è faucibus Antichriſti Romani, & amplexus puram & incorruptam Euangelij doctrinam, omni contentione operam dedit, vt in tota vita, impium & idololatricum pontificum regnum, oculis fugeret, auribus reſpueret, animo aſpernaretur, & recordatione ipſa abominationem eius perhorreſceret, ac quia verè credidit, in Chriſtum, mori millies maluiſſet, quàm fidem Chriſti abnegare, cùm ſciret ſe moriendo non interire, ſed immortalem per reſurrectionem fieri, vt præclarè dixit Athanaſius in libro de incarnatione verbi.

Adhæc cùm non ignoraret, inſignem commendationem bonorum operum, vt ſciamus magnam eſſe gratitudinem & beneficium, quod in iuſtificatis placet Deo, vt ſuis operibus, quantum in ipſis eſt, Euangelium propagare apud poſteros ſtudeant, certè nihil fiduciæ operum tribuebat, ſed hanc eſſe obedientiam Deo debitam & placentem, firmi-

ter

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

ter & ex animo ſtatuebat, ideoq́; vniuerſum πολίτευμα ſuum retulit, οὐ πρὸς ὕβριν, ἀλλὰ πρὸς εὐεργεσίαν : non ad faſtum aut operum iactantiam, ſed ad vtilitatem eorum, quibus præfuit, oblitus commodorum ſuorum. Breuiter, ſiue ſpectes ab antiquis, fundata ſacra officia, refectas ſacras ædes, reſtituta templa & magnificentiſsimè extructa, ſiue arces & munitiones, omnes ſuos prædeceſſores, & dignitatis pondere, & vtilitatis vbertate, longè lateq́; ſuperauit. Omitto innumera alia pietatis & munificentiæ ſuæ religioſa dona, Scholis, xenodochijs varijs, in horum regnorum locis exhibita, quæ ſi omnia perſequi vellem, ipſa nos eorundem copia obrueret.

Tantæ ac tot virtutes optimi Regis FRIDERICI II. cuius non animum in admirationem, ſuiq́; nominis reuerentiam conuertant? præſertim qui auditurus, tam eximiam liberalitatem & magnificentiam, tam acre pietatis ſtudium, tam multas regias virtutes, quarum fama, iam per omnes gentes vulgata eſt, aut quis tam peruerſus, qui vnquam celebrare, aut talem heroem laudibus debitis in cœlum ferre, deſinat?

Magnus nobis eſt iam campus, magnusq́; curſus ad laudem apertus, ſed temporis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

ratio non patitur, nec auditorum præſentia poſtulat, omnem geſtorum illius ſeriem, & quas ter maximus princeps laudes, meritus eſt retexere. Neq; enim id nunc ago, maiora enim ſunt, quàm vt eis vlla quadret oratio, verùm ex immenſa illorum turba, pauca adhuc decerpam, quæ etſi vobis omnibus optimè conſtare non dubitem, paucis tamen hæc aperire, & memoriam veſtram breuiter quaſi excitare admonereq; pergam.

Veniam itaq; ad id quod potiſsimum eſt, atq; omnium linguis & literis, monumentisq; extollendum, quomodo nimirum ſplendidiſsimi ac Illuſtriſsimi NORDALBINGIÆ Principes, dux IOHANNES & ADOLPHVS germani fratres, Regis vero FRIDERICI, patrui, & feudatorij ducatus Sleſuicenſis, quamquam ſtygijs erynnibus diſcordiam, tetramq; caliginem contendentibus immittere, inter hos ſummos Principes, nihilominus ſapientiſsimi Principes ac Duces, regium beneficium agnoſcentes, ac optimo Regi Othoniæ occurrentes, & feudi ab ipſius Maieſtate approbationem petentes, acceptis quæ præſtari ſolent iuramentis, & promiſſa Regi conſueta obedientia, per bannerium (vt vocant) ſolennibus ad hoc ritibus,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

ritibus, in maxima hominum corona, maximoq́ omnium applauſu, permiſſo ducibus, Sleſuicenſi ducatu, illos inueſtiuit, & auſpicatiſſima ſolennitatis pompa perpetuæ poſterorum memoriæ ſeſe conſecrauit.

Non ſunt hæc audita vobis, & in triuijs decantata, ipſi vidiſtis, ipſi interfuiſtis inquam, anno 1580. ô clementiam æterna memoria celebrandam, ô præclariſſimum facinus, nullo vnquam tempore intermoriturum.

Nec inferioribus laudibus adſcribendum puto, quòd ante biennium præſcripto certo temporis ſpacio, tam eius Regia Maieſtas, quàm multi clariſſimi Principes Germaniæ, Principumq́ ac Ciuitatum liberarum oratores eximij, in ducatu Luneburgenſi conuenerint, vt ibi quæ ad ſubditorum defenſionem, publicamq́ religionis & Eccleſiarum vtilitatem ſpectant, in Chriſti gloriam & communem ſalutem, decernerent atq́ conſtituerent.

Annon etiam omnimoda gloria digniſſimum eſt quæſo? quod Sereniſſima eius regia Maieſtas, inter omnes occupationes nihil prius haberet, quàm, vt non tam terras ſuorum regnorum, quàm immenſa hæc ma-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

ria, littoraq́;, & portus omnes à prædonum rapacitate, latrocinijsq́; vindicaret, quòd igitur liberis commeatibus, commerciisq́; iam in ſpacioſis oceani fluctibus, non tantum horum regnorum incolæ, ſed extranei quiq́; ſecurè fruuntur, nonne totum hoc illius cura, illiusq́; erat opus? ad hanc rem tales fecit ſumptus, vt magnificentiſsimis commeatibus, ac rebus omnibus, milite & armis multiplicibus, magnæ & conſtratæ naues completæ, ſingulis annis è ſtatione ſua, ac portu ſoluentes, toto æſtiuo tempore, diuerſos oceani tractus, permeantes, vniuerſum hoc regnum ſartum & tectum ab omni incommodo, detrimentoq́; & moleſtia conſeruauêre, & ne tetro facinore, pollutis claſsibus ipſum mare fœdarent, barbaramq́; feritatem cruentis aquis ſatiarent, pertinaciſsima diligentia excubuêre.

Stupet mens mea admiratione tantæ induſtriæ, & iam tranſit ad ſancta iuſticiæ penetralia, in quibus viuente hoc Rege, ſemper æqui ac probi facti reſpectus religioſa cum obſeruatione, eiusq́; præcipuum & certiſsimum in hoc regno verſabatur documentum. Etenim res eſt ſempiterna memoria digna, quomodo annuatim penè, comitia,

nunc

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

nunc in hac vrbe, nunc alibi, prout videba-
tur commodum, ſunt indicta, in quibus pro-
poſitis quæ ad regni facerent vtilitatem, om-
nibus & ſingulis, cuiuscunq; conditionis homi-
nibus, tam ad ſuam Maieſtatem, quàm ad
reliquos regni proceres, ac magnificos Sena-
tores patebat aditus, nec vlli interdictum fu-
it, liberè proponere libellos accuſationum, de-
fenſionum, querelarum & iniuriarum, con-
tra quamcunq; perſonam coram eius Regia
Maieſtate.

Huiuſmodi ſuorum querelas (quod ſa-
nè ego in Rege laude digniſſimum eſſe iudi-
co) æquo animo audiebat, easq; ſine vlla προ-
σωποληψίᾳ, ex æquitate diſceptabat, probos
laudare, errantes increpare, bonis adeſſe,
calamitoſos conſolari, egenis ſubuenire ſole-
bat, ex quo, quanta in eum fides & beneuo-
lentia horum regnorum exiſtat, non obſcu-
rum argumentum ſunt omnium ſtatuum,
communes querelæ & acerbiſſimi luctus.

At nunc poſtremò fertilia nomina, na-
ualis gloriæ, in SCOTIAM & AN-
GLIAM, illuſtranda, tacitis facibus inci-
tant: Sed cùm ampliſſima materia laudati-
onis, breuem narrationis ſeriem non admit-
tat, nec mihi cuncta complectendi cupido in-
ceſſit,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

ceſsit, dulciſsima hæc ſuauis eloquentiæ alimenta, ſpectatæ dignitatis & eloquentiæ viris, dicenda offero, non poſsibile ratus, tantarum rerum cumulum declamanti, & exiguo temporis ſpacio circumſcripto competere, quæ non clepſydram datam, ſed multorum dierum interualla deſiderant.

Hæc autem breuiter de his quæ omnibus nota ſunt, ſed reliqua quæ penè ſunt infinita, quæq́; omnem noſtram orationem, excedunt, non opus ſané eſt perſequi, cùm huius præſtantiſsimi Regis fama non in his regnis, aut finitimis prouincijs clauſa teneatur, ſed per remotiſsimas nationes, latiſsimè extenſa, maxima cum laude & admiratione ſeſe proferat, & publica omnium vox ſit, nullum vnquam in his regnis extitiſſe hoc Rege, clariorem, nec meliorem.

Sed reſtat, vt de aliis eius virtutibus dicerem, cæterùm quòd ſi omnes diuini animi eius, ſuperexcelſas virtutes retexere vellem, nunquam præ multitudine & affluentia illarum, finis futurus eſſet orationi, & anguſtia temporis à propoſito auocat.

Nam ſi dilectio Dei & eius timor, omnium virtutum ſit mater ac Regina, quomodo fieri poteſt, vt qui Dei amans fuerit, qui

clemens

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

clemens ac beneficus erga membra Chriſti, erga cœleſtem doctrinam, erga eius famulos, qui diligens in officio diuinitus commiſſo, qui bonus erga omnes, ac deniq; cuius pietas, in toto vitæ curriculo, coniuncta erat, cum ſumma animi magnitudine, conſilio, prudentia, fide, conſtantia, atq; in quem charites, tot ornamenta contulerint, vt iam non ſolum Hiſpania & Gallia, ſed Germania, ſed Anglia, Scotia, ſed vniuerſus orbis Chriſtianus, hunc vnum celebret, laudet, loquatur, admiretur, obſtupeſcat, quis inquam ab eo aliquam virtutem excluſerit? vel non potius cumulatè omnium virtutum chorum ipſi attribuerit?

Hac Principe virtutum, pietate, quæ ad omnia prodeſt, vt Apoſtolus loquitur, & vt Auguſtinus inquit, quæ moleſtias huius vitæ auertit aut lenit, adq; æternam vitam & ſalutem perducit, primum effecit, vt Deus eum ornaret illuſtri luce & ſapientia ſpirituali, robore fidei, conſolatione & victoria aduerſus Diabolum & omnia organa eius. Deinde quoq;, ad hæc cœleſtia dona, acceſſit quoq; gloria politica: videlicet præſtantia conſilij, felicitas euentuum & inclinatio animorum diuinitus facta.

Nam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

Nam quanta fuit authoritate, non ſolum apud ſuos, ſed etiam exteros, hactenus ſubinde dictum eſt.

Ac poſtremò, propter hanc virtutem, in toto gubernationis ſpacio totaq́ vita, ipſius maieſtati, Deus ita benedixit, & annos gubernationis ita coronauit, vt quilibet ſubditorum ſuorum, in ſumma tranquillitate & pace ſederit ſub vite & ſub ficu, vt ſcriptura loquitur.

Tantum bonum huius clariſſimi Regis pietas, non tam ſibi, quàm nobis omnibus peperit, vt nihil in rebus terrenis atq́ mortalibus, gratius poſſit audiri, nihil deſiderabilius concupiſci, ac poſtremò, nihil melius inueniri pace ac quiete, ipſius virtute, nobis omnibus parta.

Cæterùm, vt præteream, reliquas omnes virtutes, candore ſingulari fuit hic Rex, fraudis ac doli mali inimiciſſimus, æqui obſeruantiſſimus, iuris quoq́ iurandi religionem, principi cum primis colendam ducebat, ex quo etiam apud ſe, quam fidem ſemel dediſſet magnatibus huius regni, inuiolatam ac firmam retinere decreuerat: ita vt quiduis pati potius, quàm fidem datam fallere: Reguli opinor illius Romani, in hoc imitatus

forti-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

fortitudinem atq; conſtantiam. Magnam enim iuriſiurandi vim & quod affirmante, & quaſi Deo teſte promiſſum eſſet, id ratum omninò ac firmum, adeoq; ſimpliciter tenendum eſſe, exiſtimabat, nullas admittens quærensué latebras periurio, cùm & nullum vinculum, ad adſtringendam fidem iureiurando, maiores arctius eſſe voluiſſent, & de nulla re diligentius (vt Cicero perhibet,) quàm de iureiurando iudicaſſent.

Sed ô fatorum æmula, crudelis & impia fortuna. ô dira mors. Hæc tua ſcelera, hæc tua facinora, hæc tua ludibria, quæ probis omnibus inſidioſa ac infeſta, non niſi impijs ac improbis impensè faues. Non tibi ſatis erat, quæ in hanc familiam regiam vix biennio elapſo, indigniſſimè luſiſti, ac ADOLPHVM ducem cum ſorore ELIZABETA, Nordalbingiæ & Obotritorum principibus abſtuliſti, niſi rurſus atq; iterum tam florentiſſimum Regem, tam dilectiſſimum Principem, patrem patriæ, tuo imperio ſubijceres, nobisq; Danis tanquam ouibus iam ſine paſtore palantibus, tam immaturo interitu, tamq; immaniter eriperes? Certè tui ô inexpugnabilis mors, nobis, non D. FRIDERICO Regi, aculeati morſus nocuerunt.

Nam quomodo tu ipſi nocere potueris? cuius vita omnis integerrima, cuius adoleſcentia non ocio, non voluptatibus confracta, ſed qui iuuentutem honeſtiſsimis exercuit laboribus, reliquamq́; omnem ætatem negocijs & virtuti intentam, cum maxima dignitate, clementia, gratia, tum optimis conſilijs & illuſtribus factis adornauit, patriæ ſaluti & præſidio fuit, omne genus hominum, etiam inimicos beneficijs affecit.

Acerrimus ſemper alienæ laudis, dignitatis ac honoris propugnator, nec in eos quidem, qui cùm eum, tum maiores eius, aliquando non paruis affecerunt iniurijs, crudelis, ſed iuſtus, nec diuina, nec humana iura contempſit, nihil vnquam flagitioſè, nihil crudelè, nihil auarè geſsit, fautor bonorum, amator concordiæ, conſeruator pacis, corpore, animo, factis, dictis integerrimus: fide, iuſticia, pietate, religione, cæterisq́;, quæ ad ſanctiſsimum ornatiſsimumq́; Regem, pertinere poſsunt accumulatiſsimus, aut deniq́; quid nocere ipſi potuiſti? cuius perpetuum fuit Symbolum, aſsiduiq́; gemitus MEIN HOFNVNG ZV GOTT ALLEIN: SPES MEA IN SOLVM DEVM DEFIXA, *quiq́; contra imperium tuum ô Dia-*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

ô Diabole, inferne, voſq́; ô cæteræ peſtes humani generis atrociſsimæ, cùm iam ex huius vitæ erumnoſæ ergaſtulo, ſe liberandum videret, vt cum Simeone lætus & tutus, veſtrum effugeret ſceptrum, Syncera fide ſuam & Eccleſiæ, ac regnorum horum ſalutem Deo aſsiduè commendauit, fidemq́; Symbolo ſacroſanctæ Synaxeos firmiter confirmauit, ac deniq́; cuius vltima vox & ſuſpirium Symbolum quotidianum exæquauit.

Sed addam felicis ac beatæ facundiæ hanc extremam clauſulam, ex qua, quo animi robore, mortis impetum ſuſtinuerit, oratione, quam ad aſtantes habuit, nulli ambiguum reliquit. Lamentantibus enim ac mœrore proſtratis omnibus præſentibus, ac imprimis, Illuſtriſsima Regina, miſerrimam ſuam orbitatem, domeſticumq́; vulnus, altitudine ſuſpiriorum ac fletuum repetente, moribundus ac paulò poſt exſpirans Diuus FRIDERICVS, vt hanc triſticiæ nubem diſcuteret, exitatiores ſubinde anhelitus recuperans, in hunc modum effatus eſt: Nouimus quam fallax, incerta, vana & inſtabilis noſtra ſit vita mortalis, quæ inſtar rapidiſſimi fluminis, inſtar amentati iaculi & ſicut ſagittæ ex manu potentis, ita ad mortem decurrit,

currit, impellit, excutitur, Acquieſcamus itaq; ac meminerimus nobis à rerum parente, & accipiendi Spiritus, & reddendi eodem momento temporis legem dici. *Quapropter cùm ita vitæ author ac largitor Deus opt. Max. decreuerit, paruula hæc viciſsitudinum momenta, iuſto animi robore ſuſtinebimus, vt in æternum cum Deo noſtro & rege æterno Ieſu Chriſto viuamus. Audiuimus ſanè ac legimus, gentem quandam olim fuiſſe, quæ ære alieno oppreſſa, cum à creditoribus graui nexu ſtringeretur, in montem ſacrum pro conſequenda libertate confugiſſe. Nos autem ad quem fugiemus montem? vt tot vinculis, tot peccatorum ac malorum omnium laqueis liberemur? nempe ad montem Domini pinguem atq́; coagulatum: cuius tamen conſequendi, nulla nobis patebit facultas, niſi ingrediamur ſine macula, precioſo ſanguine Chriſti, ſordibus peccatorum abluti eiuſq́; iuſticia cooperti, vt per ipſum ſolum iam nunc à grauiſsimo vinculorum & malorum pondere, colla excutiamus. ô Fili Dei, ſplendor æternæ gloriæ, ſolamen peregrinantis animæ: apud te eſt os meum ſine voce & ſilentium meum loquitur tibi. Vſquequo tardas venire Deus meus, Veni, veni,*

quia

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

quia ſine te nulla erit quieta dies aut hora. Tu etenim lætitia mea, & ſine te vacua eſt anima mea. Si igitur tu mecum es: licet mihi ſit eundum per vallem etiam mortis opacam, nihil pertimeſcam mali, baculus tuus ac pedum me tuum conſolantur. Manibus tuis ſpiritum meum commendo: redemiſti me Domine pie Deus. Qui credit habet vitam æternam, qui verò non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum &c.

Incredibile autem dictu eſt præſtantiſſimi auditores, in hac temporis anguſtia, quomodo, ſeſe ante poſtremos agones geſſerit, qui nihil aliud fuerunt, quàm aſſidua pietatis, veræ inuocationis & confeſſionis exercitia, omnibusq́; aſtantibus perpetua æternaq́; μνημόσυνα, atq́; ad pietatem ſtimuli acerrimi. Sed hanc partem doctiſſimo collegæ & clariſſimo Medico, Dn: D. Andreæ Chriſtiano Ripenſi, à prandio perorandam relinquo.

Interim ſi hiſtoriæ omnium temporum, teſtantur fidelibus cuſtodibus religionis & diſciplinæ, extinctis aut remotis, ſequutas eſſe vaſtitates Eccleſiarum, interitus literarum, barbariem cyclopicam, & triſtiſſimas confuſiones opinionum, cultuum ac morum, &

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

ſapientum Sententiæ extra Eccleſiam ab experientia ſumptæ, idem docent, inter quas celebratiſſimum eſt id, quod Pauſaniam pronunciaſſe legimus, de Spartanorum cladibus, rege Cleombroto obtruncato in prælio ad Leuctra, μάλιϛα γὰρ ἐπὶ πταίσμασι μεγάλοις ἐθέλει προαιφαιρεῖσθαι τὸν ἡγεμόνα ὁ δαίμων, h: e: magnis cladibus impendentibus, ſolet Deus è medio tollere Principem. ô nunc miſeros & calamitoſos nos, qui cùm indigni facti eſſemus tanto Rege, ac haud dubiè noſtris demeritis peccatis id exigentibus, ideo Deus nobis illum abſtulit, quod ſuum eſſe maluerit. Nam cùm vix quinquaginta quatuor annos confecerit, immatura fatorum acerbitate, nobis ſublatus & extinctus eſt optimus, clementiſſimus, prudentiſſimus, Sereniſſimus, omnium bonarum artium & humanitatis amantiſſimus Rex, ſed citra omnem oris aut corporis diſtorſionem aut deformitatem, ſortitus εὐθανασίαν & exitum facilem, hoc currente anno, ſalutis humanæ 1588. quo venit ſumma dies & ineuitabilis hora eius, tertio quadrante ante quintam pomeridianam, 4 Aprilis: extinctæ ſimul tot præclariſſimæ virtutes, quas nunc fletu magis quàm laudibus vllis exprimere conuenit.

Heu

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

Heu nos miſeros, heu nos infelices, ereptus eſt nobis præſidium firmum & conſtans, ereptus eſt ille, qui libertatem noſtram, qui pacem, qui ocium, qui tranquillitatem, qui ſalutem noſtram ſtudioſiſsimè atq́ acerrimè defendebat, cuius præſidio quàm diu vixit freti, nullum periculum, nulla tempeſtas nobis nocere potuerunt. Verùm ſi vera ſunt ea, quæ de æterna Dei & piorum hominum conſuetudine, dicantur, vt ſanè ſunt veriſsima, confirmata doctrina Euangelij, reſuſcitatione Filij Dei & multorum aliorum, qui extincti reuixerunt, cogitemus non amiſſum eſſe ſanctiſsimum Regem noſtrum, FRIDERICVM II. Sed lætum nunc frui conſpectu, ſermonibus & ſapientia Dei & Filij ipſius Domini noſtri Ieſu Chriſti. Verſatur nunc in cœtu cæleſtium Regum, Sanctorum Patriarcharum, Prophetarum & Apoſtolorum, cum his de Deo, de imperijs, de neruis bonæ gubernationis, de legibus & iudicijs, deniq́ de vniuerſa ſapientia diuina colloquitur.

Huius colloquij ſocios & condiſcipulos habet, DAVIDEM, EZECHIAM, CONSTANTINVM, THEODOSIVM, patrem ſanctiſsimum CHRISTIANVM

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

ANVM III. auum, patruos, ſocrum ELIZABETHAM, paulò antè ab ipſius conſpectu auulſam. Hi nunc coniunctis & ardentibus votis, noſtrarum Eccleſiarum & politiarum ſalutem, Deo commendant.

Quare nihil ille mali paſſus eſt per mortem, qui rectâ in cœlum migrauit, qui tranſijt de labore ad refrigerium, de expectatione ad præmium, de agone ad brauium, de morte ad vitam, de fide ad noticiam, de peregrinatione ad patriam, de mundo ad patrem, vbi paratus eſt illi locus, in quo cum omnibus electis, feliciſſimo ſemper fruatur æuo. Abſit ergo putemus illi aliquid contigiſſe mali, ſed nobis & ſucceſſoribus noſtris, ingentia inde ſuccedunt incommoda, qui ſublato rectore, ſumus inſtar nauis, quæ vndis inſurgentibus, ſpoliata magiſtro, & ſolito carens gubernaculo, æſtuoſiſſimisq́; fluctibus atq́; procellis agitatur.

Quare ſi, Lazarum Saluator noſter fleuiſſe legitur, ſi quoq́; duodecim legum tabulæ, funebrem luctum recipiunt, nemo eſt qui mortuo hoc patre patriæ, nutritore Eccleſiæ & Scholarum, non meritò mærore, cura & ſolicitudine afficiatur.

Luget

Luget Illuſtriſsima Regina, cuius coniu-
gium inexorabilis parcarum ſors, indigniſsi-
ma clade funeſtauit, cuiq́; nullam omnium
indulgentia fatorum, felicitatem maiorem
tribuere potuiſſet, quàm ſi in hoc periucundo
amore & tranquillo ocio, auſpicatiſsimarumq́;
prolium parenti factæ, illi in extremam ſe-
nectam, tam florentiſsimum Regem, mari-
tum, pulcherrimum pulcherrimæ, amantiſsi-
mum amantiſsimæ, thori conſortem, ac eius
vitæ vſuræ, quæ iam Dei immortalis benefi-
cio traducenda reſtat, ſocium conſeruaſſet.
Luget electus Rex CHRISTIANVS IIII.
lugent quoq́; reliqui illuſtres ac generoſi libe-
ri, amantiſsimo patre, ac glorioſiſsimo Rege
amiſſo, luget totius Regni ampliſsimus Sena-
tus & vniuerſa nobilitas, extincto clariſsi-
mo & ſplendidiſsimo lumine, quod perpetua
luce illuſtrium exemplorum, optimisq́; inſti-
tutis patriam hanc vniuerſam, illuſtrabat,
quòd plebis incolumitatem, quòd ciuium con-
cordiam, quòd nobilium ſplendorem, ac de-
niq́; quod omnium noſtrum ſalutem, ſtudio-
ſiſsimè ſemper diligentiſsimeq́; irradiabat.
Sordemus in obſcuro omnes, flemus omnes,
luget omnis ætas, omnis ſexus, omnis ſtatus,
magni, parui, decrepiti, ſenes, iuuenes, in-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

fantes, mares, feminæ, virgines, innuptæq́ puellæ.

Sed nunquid vos, P.C. aut tu ſtudioſa pubes, voſq́ ſacrorum Myſtæ obſeruandi, lachrymas continere poteſtis, cogitate de huius ſanctiſsimi Regis, nunquam ſatis laudata benignitate, ipſo ſuperſtite, omnes felices nos prædicabant, ipſo autem defuncto, quis eſt, qui miſeriam noſtram conſoletur? aut quis tam prompta & exquiſita clementia, applicatum iam ceruicibus noſtris, calamitatum mucronem auertat vel ſaltem reuocet?

Quid igitur agemus? aut quid habemus, in quò nos poſsimus conſolari? Certè omnia ſita ſunt in tua CHRISTIANE *IIII. virtute, electe Rex ac Domine clementiſsime. Nam vt pater tuus Sereniſsimus, ampliſsimam & honeſtiſsimam ſui apud omnes, quibus vnquam cognitus fuit, opinionem, ita iam tibi hæredi ac electo Regi, non tam hæc ampliſsima regna gubernanda, quàm paternarum virtutum, ad exemplum imitandum reliquit. Eſſe enim illius vita tibi imago quædam debet, ac ſpeculum politici iuxtà ac militaris viri, in quo virtutes omnes, quæ in optimo Rege, deſiderari poſsunt, emicuère, ſcientia rerum gerendarum, prudentia domi*

foriſq́

foriſq́, fortitudo, iuſticia, clementia, fides, pietas, quas, ſi cæteris illis optimis & honeſtiſsimis literarum ſtudijs tuis, adiunxeris, continuoq́ excolueris, non occidiſſe quidem patrem tuum ſereniſsimum Regem, ſed in te nobis renatum eſſe verè arbitrabimur. Adeoq́ quam ex illius morte, acerbam ægritudinem atq́ dolorem accepimus, te filio, in patriam olim adminiſtrationem ſuccedente, ſuperſtite, recteq́ gubernante, cum minori mæſticia atq́ iactura deponemus.

Nos autem vt celſitudinem tuam, ab omnibus vitijs puram ac integram, Chriſtus Saluator noſter ad pietatem, ad optimarum rerum ſtudia, ad ſui nominis laudem, decusq́, ad vtilitatem profectumq́ Reipub. dirigat, foueat, gubernet, tueatur atq́ conſeruet, quò & Eccleſiæ ſuæ nutricius, & regnis his ampliſsimis, communiq́ bono, vtilis eſſe poſsis, Rexq́ ac Princeps ſalutaris, ſummis votis precamur & exoptamus.

Nunc poſtremò etiam toto pectore gratiagamus tantas, quantas pectoris noſtri anguſtia capere, & hæc balbuties linguæ noſtræ proferre poteſt, Deo æterno patri Domini noſtri IESV CHRISTI, quòd immenſa bonitate & miſericordia ſua, in hac poſtrema æta-

te mundi, his regnis ſeptentrionalibus, ſalutares Principes, & Eccleſiæ ſeneſcenti, tam fideles nutricios dederit, eumq́; per & propter Filium mediatorem Dn: noſtrum IESVM CHRISTVM, veris & inenarrabilibus gemitib: oremus vt deinceps miſericordiæ ſuæ, quæ exuberat ſupra peccatum clementiſsimè recordetur, conſeruet inter nos lucem euangelij, ſegregatam ab omni ἐθελοσοφίᾳ ac ἐθελοθρησκείᾳ, ac defendat & vmbra manus ſuæ protegat Eccleſias & politias horum regnorum, aduerſus manifeſtam & impiam fraudem Diaboli & omnium hæreticorum ac organorum eius, & faciat nos omnes vaſa miſericordiæ, quæ eum vnà cum Filio & Spiritu ſancto, in omni æternitate vera gratitudine & læticia celebrent.

AMEN.

QVA

QVA POMPA ET CELE-BRITATE EXVVIÆ OPTIME meriti Regis FRIDERICI II. longiſſimis vitæ ſpacijs digniſſimi Principis, humo mandatæ ſint, breuis delineatio.

CVM IAM VTI HACTENUS retulimus, FRIDERICVS II. Daniæ & Noruegiæ Rex potentiſſimus, annis, 54. ferè in terris vixiſſet, omnesq; in eo virtutes, quæ regiam perſonam decerent, penè perfectam maturitatem cœpiſſe viderentur, regnisq; ſuis non tam opum multitudine & ſpecioſis titulis, quàm illuſtri fide, conteſtataq; virtute, perenne ac immortale parârit decus, quod ad poſteros rediuiua cum laude propagetur: Sublimis iſte animus, ſic Deo diſpenſante, in cœlum vnde venerat, 4. euolauit April: die.

Poſtridie autem, cùm iam compoſitum eſſet cadauer, pictor vocatus Antuorſchouiam in arcem, gypſo faciem & totum caput vſq; ad humeros expreſſum, diligentiſſimè reformauit & expreſſit, ac poſtea exuuiæ regio more conditæ, Sandapilæ ex ſtanno confectæ in

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

ctæ includebantur. Sandapila vero amiculo nigello heteromallino circumamicta, in ſuperiore parte Chriſti Saluatoris, cruci affixi, imago, deinde gladius in medio, ac poſtremò inſignia Regni ex auro puro Sculpta, artificiosè impreſſa erant. Adhæc etiam termini lateraq́ Sandapilæ, diuerſis ramuſculis, aureisq́ clauis variegata, nomen Regis repræſentabant: FRIDERICVS II. DANIÆ ET NORVEGIÆ REX &c. Qua ſic elaborata, ac in templo paucis ſeptimanis depoſita, cuſtodia diurna & nocturna aſſeruabatur, cubicularijs & alijs per vices vigilantibus.

Cùm autem 25. Maij, quæ funeri conſtituta erat dies deportando Roſchildiam, quo loco diſpoſitum ὑπογεῖον ſepulchro fuit, comitibus non tam ijs, qui citra Sereniſſimum Regem noſtrum, vltima ſua ἀποδημία fuerunt, ſed alijs etiam generoſæ nobilitatis pluribus, pullato & lugubri habitu magno copioſoq́ comitatu, tam equitum quàm vectabulorum comitantibus, ac iam verſus Roſchildiam tendentibus, vbi CHRISTIERNVS I. & CHRISTIANVS III. ſumptuoſiſſimo mauſoleo ſepulti iacent, quos penes & ipſe Diuus FRIDERICVS ſe-

pultu-

pulturam elegit. Quò paulatim productum funus, ac ad ſtadij ſpacium ad hoc delecti, prodeuntes in occurſum, hunc in ordinem redacti ſunt: vt præeuntibus Scholaſticis Roſchildianæ pubis, deinde regijs ſtudioſis centum, cantoribus regiæ Maieſtatis, Canonicis & Vicarijs Eccleſiæ Cathedralis, ſequuti ſint Profeſſores Academiæ Regiæ Hafnianæ, Magiſtri & Doctores ſingularum facultatum. Hinc qui tubæ cantu martem accendunt. Quibus præſto fuit cohors prætoria, ita quidem diſpoſita, vt trini & trini circa ducendum funus obequitarent. Hanc exceperunt quadraginta Scholaſtici, amiculo pullato talari induti, ac manibus funalia tenentes. Nunc rhabduchi præcones vnicuiq; equitandi, incedendiq; locum & ordinem cenſorijs ſuis notis præſcribentes, equis vehebantur. Tum præfectus prætorij ſolus, ac poſt illum nobilium ingens caterua, cui iam ſucceſſit funus glorioſiſſimi Regis FRIDERICI II. currui impoſitum quadriiugi, equis atra veſte & ad terram demiſſa, omnibus iniecta. Funus autem ab vtroq; latere, Regij laterones & ſatellites longiſſimo tractu, à plebis intercurſu paſſim conſtipabant. Poſt funus adhuc aliquot ordines nobilium perequitantes, Reginæ

& He-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

& Heroinarum, vectabula penſilia quatuor ſequuntur. Adhuc autem paucis procedentibus ordinibus equeſtribus, ſucceſsit deſignatus Rex CHRISTIANVS IIII. Dominus clementiſsimus, cum fratribus Generoſis, quem Magnifici Regni Senatores etiam ſuo ordine comitabantur. Ac demum reliqua immenſa multitudo nobilium & procerum Regni, vtriusq́; ſexus. Vltimo autem in agmine Senatores & Conſules oppidorum, cum copioſa ciuium ac plebeorum multitudine, donec funus in ſedem Epiſcopalem, deuectum, vt ibi ad certum dierum ſpacium, nobilitati & vicinis Principibus indictum, collocaretur & aſseruaretur. Longum autem eſſet hîc referre reliqua, quæ in primis his exequijs geſta ſunt, ſed non ſufficit hoc tempus, ſingulis percenſendis. Quare iam ſatis ea dicta ſunt, quæ circa corpus & primam deductionem fiebant. Nunc cætera ſunt dicenda quæ honori corporis vel potius ſuorum in eo adhibebantur, inter quæ, præcipuè erant proceſsiones funerariæ, tum laudationes, de quibus etiam Ethnicus in ſuis legibus: Honoratorum virorum laudes, in concione memoranto &c.

Quare

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

Quare vertente iam deſtinato die, ac aduenientibus Illuſtriſsimis Principibus, HVLDARICO Magnopolenſium Duce, & ſocero optimi Regis, IOHANNE fratre Regis Sleſuicenſis & Holſatiæ, Duce, CAROLO Obotritorum Principe, Comitibus ac Principum externorum legatis, tum nobilibus, alijsq́ peregrinis pluribus, omnium deniq́ ordinum & ſtatuum ex ſingulis prouincijs frequentiſsima turba certatim accurrens, in ſede Epiſcopali, conſtituta hora conuenit.

Promiſcuus autem vtriusq́ ſexus populus, qui infinitus erat, per varias turmas & cuneos, patrem patriæ, ac Regem optimum & Principem glorioſiſsimum, hoc vltimo intuitu videre geſtiens, omnes ſui ordinis & decoris obliti, quem ſors cuiq́ locum obtuliſſet, occupabat. Conſcendunt alij tecta, & ſummis pendent tegulis, alij trabibus inſident, alij columnis innixi, alij muris hærent: omnes feneſtræ, omnes rimulæ ſuis ſpectatoribus refertæ: perforati parietes & diruptæ maceries, quo non tam oculos hoc triſti ſpectaculo explerent, quàm crebra ſuſpiria gemitus & quiritatus pro Rege optimo ederent, ſummumq́ mœrorem conſpecta regia ſobole leuarent. Nullus locus non occupatus,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

ne ijs quidem, qui non niſi ruinoſum & periculo proximum caperet veſtigium. Laborabant referta hominum pondere tecta, neq́ minus vias omnes, denſiſſimæ populi turbæ opplebant, non ætas, non ſexus, non valetudo quemquam detinere potuit, nec tremulæ anus, titubantesq́ ſenes abſuêre, omnes enim ſub hoc Rege, ſe florentes, felices, beatosq́ prædicantes, ad hanc ſacram pompam, quâ optimo Regi ſupremum pietatis & amoris officium præſtarent, ſtudioſiſſimi erant. Quàm triſte pijs & cordatis hominibus, hoc fuerit ſpectaculum, quod multis muliebri eiulatione excipientibus, multisq́ quaſi ſtupeſcentibus, verbis explicare, de eo certè ſiccis oculis, nunc etiam cogitare vix poſſum.

Sed nunc ſingulatim commemorandum eſt, quo ordine inſtauratis exequijs, funeris pompa deducebatur. Conuenientibus autem vti diximus, præcipuæ authoritatis & nobilitatis viris, in loco præſcripto, vbi quondam erat ſedes Epiſcopalis, ac expectantibus ſignum per campanas, hora octaua dandum, interim cùm omnibus ætatibus vſitatum fuerit, vt qui ad ciuile faſtigium euecti, ingentium ſplendidarumq́ gentilitatum fundamenta iecerint, non gentilitatis iure, exequijs & lauda-

laudationibus, maiorumq́ imaginibus ſupremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici ſolent ſpoliati, abijcerentur, ſed imagines maiorum in funeribus ducerentur, ad gentilitatem oſtendendam, id quod etiam conſularis ille in ſecundo de oratore oſtendit: Brute quid ſedes? quid illis omnibus quorum imagines duci vides? quid maioribus tuis? de agnata Bruti loquens, quæ funere efferrebatur. Quare hîc etiam erectis principiò in platea, quæ nomen habet à Diuo Olao, decem & ſeptem militaribus ſignis, ac totidem additis equis ſuperamictis, imaginesq́ ad memoriam poſteritatemq́ prodendam exprimentibus, eo ordine qui ſtatim deſcribetur, educti prodiêre. Cæterùm audita octaua, ac perſonantibus campanis, primum Scholaſtici, ſtudioſi, Capitulares, Profeſſores, Magiſtri & Doctores, eo ferè ordine, qui prius commemoratus eſt diſpoſiti, ſacras cantilenas & pſalmos decantabant, his ceremonijs ac triſtiſsimis ritibus aptos. Hos ex agmine Regio primum exceperunt tubicines Regij, vela tubis ac inſtrumentis omnibus ſuperinducta. Hinc tertio loco Mariſchalchus, quem prius præfectum prætorij nominaui, ſucceſsit, cum Aulicorum diſpenſatorum decurionibus.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

Quos ſequuntur 40. Scholaſtici lychnuchi, habitu ſupra nominato. Nunc quinto loco ſeptendecim ſigna, auro & argento magnificè fulgentia, totidem ſigniferi, ſeptendecim quoq́ equi cum inſignibus ac imaginibus Regni, ac eorum ſingulorum bini ductores, nobiles & generoſi viri, ſed hoc quem dicemus ordine producuntur.

P*Rimùm, rubrum ſignum ſanguinis colore inſignitum, ſtrenuus ac Magnificus vir, Mauritius Podebuſk attollebat, ductores autem equi paludamentis nigroq́ panno ſuperamicti, erant Generoſi & ſpectatæ nobilitatis viri, Nicolaus Skram & Iohannes Rudt.*

Secundo loco, Arnsburgicum Liuoniæ, aquilæ ſignum erexit, Nobilis & ſtrenuus Henningius Göie, ad quem Claudius Podebuſk ac Chilianus Iulius, vterq́ ſicut & omnes ſequentes, nobilitate & imaginibus conſpicui & clari

clari viri, equum à manibus ducentes ſequebantur.

Poſt hos, antiquum Delmenhorſticum ſignum portabat Magnificus Nicolaus Friſius, equi verò ductores erant Hartuichus Höken, & Iohannes Falſtrius, Nobilitate & virtute excellentes.

Præterea, quod dicitur ſignum Oldenburgicum, manifeſtauit Generoſus Iohannes Iohansön, equi gubernatores erant, Petrus Iulius, Chilianus Brockenhuſius, maiorum inſignibus non obſcuri.

Inſuper Femariæ ſignum, famigeratus Martinus wenſtermand attollebat, equum vero ductabant Chriſtianus Gyldenſtierne & Melchior Wlſtand, quorum vterq; vt nobilitate excellit, ita & eruditione ac multis virtutibus, clarus exiſtit.

 Sextò

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

Sextò, Succedebat Ditmariæ ſignum, ſignifer Magnanimus Canutus Grubbe, equi autem ductores erant Anthonius Bröſche, necnon Holgerus Wlſtand, Gregorij filius, vterq́ etiam per ſe ſatis commendatus.

Nunc Stormariæ ſignum produxit Magnificus Gerhardus Rantzouius, frænum quod manibus retentum equum rexit, habuerunt Ericus Wenſtermandt cum Erico Lange, Nobiles etiam, antiquiſsimi generis ſtemmate clari.

Continuò Wandaliæ & Holſatiæ ſignum, folio ἀκαλήφκσ *inſignitum, in publicum attulit præſtantiſsimus Godſchalchus ab Anfeld, equum Hilarius Bröſche ac Georgius Quitzouius, viri nobilitate ac virtutibus inſignes.*

Sed nunc egregij Franciſci Brochenhuſij bellicoſiſsimi ſané viri, ac pro

patria

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

patria fortiter occumbentis, Generoſus filius Laurentius Brochenhuſius, tuum Sleſuiga ſignum protulit, equum autem Auo Lange Iuari filius, ac iuxtá Iacobus Krabbe, expedierunt, homines etiam iure gentilitatis, & imaginibus maiorum clariſsimi.

Hoc è veſtigio ſequitur Islandiæ ſignum, ſignifer erat Iohannes Lange, ductores Benedictus Rantzouius, necnon Iohannes Bernechouius, omnes antiquæ familiæ & clariſsimi ſtemmatis.

Tum quoq; magni nominis Axelius Braade, Gothlandiæ expedijt ſignum, equo frænum ſubiecerunt, Hilarius Brochenhuſius, necnon Giordauus Petrus, & ipſi veteri proſapia ac clariſsimis familiis oriundi.

Reſtat Sielandiæ, Lolandiæ, Falſtriæ &c Signum, quod imagine Serpentis leuium tiliarum expreſſum,

ſplen-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

ſplendidus Petrus Braade circumuexit, equum ducentes Eſchillus Broch, ac Ericus Lange, nobiles præcellentes.

Iterum Cimbriæ Venſeliam, Hemerſeliam &c. ſignum repræſentans, ac nouem cordibus Leoniſq; imagine expreſſum, magnanimus Chriſtianus Munck produxit, frænum verò quod equino rictui inijciebatur, Chriſtopherus Roſengaardt, ac Carolus Bröſche, vetuſtiſsimæ proſapiæ clariſſimi viri, manibus tenebant.

Adhæc ſignum tribus Coronis inſignitum, Splendore ac virtutibus celebris Ludouicus Munck, Ludouici filius, tenebat, equum autem ductabant Iuarus Munck, Magnuſq; Göie, Falconis filius, origine familia ac ornamentis maiorum ſplendidi Nobiles.

Sed tuum Noruagia ſignum extulit Thomas Faſze, equi antilenam

guber-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

gubernantes, Nicolaus Petri, Magnusq́; Iulius, omnes nobiliſsimi & generoſiſsimi viri.

Cœterùm ſignum trium Leonum, Ampliſsimæ authoritatis Ericus Valchendorp extendit, frontale autem quo caput equi, reuincebatur, Iohannes Spëil, atq́; Eſchillus Bilde, curantes, Nobiliſsimi ſanè & integerrimi viri.

Nouiſsimè Regaliorum ſignum, imaginibus ac titulis Regni conſpicuum, Strenuus Georgius Bilde extulit, equum Petrus Ritzius, necnon Tago Krabbe gubernantes, etiam vterq́; ſuis factis, clarus ac conſpicuus. Sed hactenus de ſignis, iam ad alia tranſeundum eſt.

Cùm autem ius Regaliorum, maximum olim fuit, ſicut ex antiquis monumentis apparet, poſt hæc militaria ſigna, quatuor ampliſsimi Regni Senatores, Regalia Regni ferentes, ſub-

ſequuti ſunt, quiq; hoc ordine ſucceſſerunt.

Primum ibat magni nominis ac dignitatis Georgius Roſenkrantzius, aureum illud pomum, mundi typum manibus ſuſtinens.

Iuxtà ſequebatur illum, Generoſus Petrus Munck, ſacrum Regale ſceptrum, quum arte, tum impenſa elaboratum, dextera præferens manu.

Deinde Strenuiſsimus & magnanimus Heros, Petrus Gyldenſtierne, Regium enſem, cuius capulus & vagina, arte aurifica & gemmaria, ſupra omnem æſtimationem ad miraculum ſpectantium ſunt elaborata, ſua dextera eleuatum attollebat.

Ac demum Magnificentiſsimus Cancellarius, Regiam Coronam ex auro obryzo, precioſiſsimis lapillis refertam, adeoq; ſumptuoſam, vt omnem æſtimationem excedat, ambabus manibus geſtabat. *Poſt*

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

Poſt quatuor Regalia, proximè à tergo ſequebantur infulati præcones, ſuis palludamentis ac omnibus S. R. M. imaginibus clari & inſignes.

Sed iam proximè ante funus, Generoſi Nobiles Chriſtopherus Par & Euſtachius à Thonen, ipſum Regium equum, panno holoſerico ſuperamictum, byßinaq́; cruce alba inſignitum, ducunt, mirabilè autem viſu erat in hoc equo, qui inter gradiendum, tam lentè veſtigia impreßit, vt ſui corporis pondere, ſe quaſi acerrimo dolore afflictatum, vehementerq́; obſtupefactum oſtenderet. Mirum quoq́; quomodo expertia rationis animalia, OPTIM: MAXIMVS informauit, vt & ſuum erga benemeritos deſiderium exprimant, ac συμπάθειαν oſtendant inexplicabilem.

Nunc è veſtigio ipſum funus exportabatur, feretro autem humeros

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

ſubiecerunt, hi maximæ nobilitatis ingeneratæ bonitatis, imaginibus ac titulis ſplendidiſsimi viri, quos meritis titulis exornare cùm hæc breuis delineatio non patiatur, ſaltem hæc eorum ſunt nomina.

Prebernus Gyldenſtierne.
Hannibal Gyldenſtierne.
Canutus Braade.
Cunradus Quitzouius.
Huldaricus Sandberg.
Waldemarus Pasberg.
Georgius Braade.
Olaus Roſenſpær.
Auo Wgerup.
Börgerus Roſenkrantzius
Fridericus Lange.
Georgius Wrne.
Olaus Daa.
Iohannes Roſtrup.
Claudius Clambeck.
Mauricius Erici

Hermannus Iulius.
Henningius Reffuelow.
Auo Lange.
Godrzlauius Budde.
Henricus Lycke.
Georgius Friſius.
Iacobus Högius.
Gabriel Sparre.
Lago Wrne.
Broſtropius Gedde.
Iohan : Wrne.
Axelius Roſenkrantzius.
Magnus Suanne.
Franciſcus Rantzouius.
Andreas Toth.
Claudius Hundermarck.

Super feretrum ac funus, vmbraculum holoſericum attollebatur,

quod

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

quod ſequentes viri Generoſiſſimi ac clariſſimi, manibus ſuſtentabant.

Nicolaus Pasberg.
Georgius Daa.
Canutus Erici.
Abſolon Iulius.
Georgius Worm.
Magnus Göe.
Prebernus Bilde.
Olaus Bilde.

Hos omnes ab vtroq; latere, cingebant generis nobilitate, & omnibus virtutibus ſplendidiſſimi viri triginta, ſinguli denigratæ cæræ ardentes tedas manibus geſtantes, quorum etiam hæc ſunt nomina.

Borchardus à Pappenheim.
Andreas Dreſſelberg.
Anthonius Roſenkrantzius.
Wilhielmus Dreſſelberg.
Fridericus Hube.
Ericus Bilde. Franciſci fil:
Chriſtianus Holck.
Chriſtopherus Cruſius.
Fridericus Quitzouius.
Magnus Gyldenſtierne.
Holgerus Wlſtand Ioh: fi:
Enualdus Cruſius.
Iacobus Wind.
Iohan Brochenhuſius
Petrus Grubbe.
Iacobus Trolde.
Eſchillus Cruſius.
Gabriel Caaſius.
Ericus Dreſſelberg.
Canutus Wenſtermand.
Chriſtianus Krabbe.
Alexander Dunhaim

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

Nicolaus Skinckel. Ericus Bilde Stenonis filius.
Biörno Saxſtrup. Caſparus Marckdanus.

Nunc proximè poſt funus ſequebatur CHRISTIANVS IIII. Dei gratia electus Rex ac Dominus noſter clementiſsimus, cuius ſiniſtrum latus cinxit Illuſtriſsimus Princeps HVLDARICVS Dux Megapolenſium. Præterea Splendidiſsimi & excellentiſsimi Principes, HVLDARICVS iunior & IOHANNES iunior Duces Holſatiæ, Sleſuigæ &c. orbati chariſsimo & pientiſsimo patre ſequebantur. Nunc inſuper, Generoſis viris, externorumq́ Regum ac Principum legatis, Oratoribus magnificis, ad præſtandum exequiarum cultum, huc miſsis, debitus locus relictus erat. Exinde Regni Senatores omnes, Holſati, Megapolitaniq́ conſiliarij, ſunt progreſsi. Ac nouiſsimè tota Regni nobilitas per ſu-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

os ordines incedere iuſſa, reliquos eundo perrexit ſequi.

Hunc cœtum iam amplius, regale gynæceum, tali forma intercepit. Ante omnes Illuſtriſſima Regina ſucceſſit, ſumma veneratione, reuerentia atq; obſeruatione, quemadmodum deceret benigniſſimam Reginam, commune omnium Viduarum, Orphanorum, pauperum, & varijs modis afflictorum, tutiſſimum aſylum, omnisq; clementiæ ac benignitatis (vt ita dicam) promum & condum. Hanc inquam iam amiſſo optimo marito ac Rege potentiſſimo, miſerè lachrymantem, ingemiſcentem, ac ſingultientem, inclyti Principes: IOHANNES Holſatiæ atq; Sleſuigæ &c. Dux, frater germanus Glorioſiſſimi Regis FRIDERICI II. & CAROLVS Obotritorum Princeps, à lateribus cingebant. Cæterùm procedente

te

te Illuſtriſsima Regina SOPHIA, continuò à tergo ibant, (ſanctiſsimæ recordationis) optimi ac clementiſsimi Regis noſtri, relictæ filiæ omnes, excelſæ virtutis & pietatis lectiſsimæ Heroinæ.

Quarum natu maiori præclaræ ac expeditæ probitatis principiſſæ à dextero latere Magnificus Chriſtopherus Valchendorpius, à ſiniſtro, Generoſus Steno Braade, duces erant. Hinc Generoſam Principem ANNAM, eruditionis, eloquentiæ, magniq́ nominis, Manderup Pasberg, ac Ericus Hardenberg comitabantur. Exinde illuſtri Heroinæ AVGVSTÆ, rei bellicæ expertiſsimi, Hackius Vlſtand & Andreas Bing, à dextero & ſiniſtro latere comites fuerunt. Dehinc inclytam HEDVIGAM, comitabantur, multis nominibus clariſſimi & ſpectatiſſimi

viri,

viri, Henricus Belouuius, necnon Axelius Gyldenſtierne. Amplius, Principem DOROTHEAM, patruelem Regiæ ſobolis, ac Illuſtriſſimi Principis IOHANNIS, Ducis Holſatiæ ac Sleſuigæ filiam, Ampliſsimi grauiſsimiq́ viri Coruitzius Viffert, necnon Abſolon Göe, ſtipabant. Adhæc maiorum nobilitate præclariſsimam ac Illuſtriſsimam, omniumq́ virtutum genere ornatiſsimam Duciſsam, Ducis IOHANNIS legitimam coniugem, egregij alij & ſplendidi viri, deduxerunt. Poſt eas prodijt Magiſtra palatij, cum Illuſtriſsimæ Reginæ generoſæq́ Heroinæ Ducis IOHANNIS gynæceo. Interim totius Nobilitatis Generoſæ Dominæ, ac ætate, forma & virtutibus, præſtantiſsimæ virgines prodiêre. Harum finem excepit ingens Conſulum, Senatorum, Ciuium, ac

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

deniq; promiſcuæ multitudinis turba infinita.

Vbi autem hac inſigni pompa (vti diximus) itum eſſet, ac ad templi valuam ventum, ad quam ſtipatores armati, propter nobilitatis ac peregrinorum magnam frequentiam, cuſtodias agebant, ne expectabunda plebs & inquieta iuuentus, appropinquaret aut irrumperet, ſuaq; imprudentia, vel ceremonias vel ſacra impediret, Scholaſtici, Studioſi, ac alij adiuncti eorum agmini, deflectentes et in ſua loca ſecedentes, Cantores Regij, Capitulares, Profeſſores Regiæ Academiæ, ſinguliq; ordines, ſcriniorum Magiſtri, Secretorum ſcribæ, reliquorumq; aulicorum agmina ſingula, pro ſui ordinis dignitatisq; gradu diſcriminatim ingredientia, ac ne funebribus impedimento forent, dexteram templi partem occupantia. Cæterùm

equis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

equis omnibus abductis, ac tandem in media regione templi, depoſito funere, nobiles ſigniferi ac lychnuchi, ſua corona, dum ſacra fiebant, vndiquaq́ funus circumdedêre. Erat autem ea pars templi, cùm, tota pauimenti ſuperficie, tum columnis, pulpitis, ſubſelliis, oratorio, panno nigro velata atq́ cooperta. Itaq́ iam ingreſſis Ducibus, Magnificis Regni Senatoribus, Nobilitate vniuerſa, Regina quoq́ in ſuum ſolium circumtectum traducta, mox quatuor Regni Senatores mæſti procedentes, Regalia coronationisq́ inſignia ferentes, poſuerunt ſuper altare. Quamquam autem toto matutino ſpacio, perſtrepente dulci Zephyro, ac paulatim dum in templum itur, ſeſe in guttas reſoluente, vix tamen recepti in templum, pluuiæ maiore illatæ pondere incurſuq́, & locum ex loco mutantes, rapida vertigine torrenti-

um inſtar, erupêre, proinde non defuerūt, qui varia inde præſagiebant, quæ tamen potius OPT: MAX: Dei, prouidentiæ & voluntati committenda cenſeo, quàm temeré de ijs quæ humanis mentibus arcana ſunt, pronunciandum. Sed nunc quomodo ſacra fiebant, breuiter dicendum reſtat. Poſt paucas autem odas Chriſtianas decantatas, ad Orationem latinam ex ſuggeſto clariore voce recitatam, attentiſſimè & ſumma cum religione auſcultatum fuit, quâ ad vmbilicum perducta, rurſus canitur, ac Reuerendus vir, M. Chriſtopherus Knophius, concionator Regius, ſuggeſtum iuſſus conſcendere, collationem inter Sereniſſimum Regem, & præſtantiſſimum populi Hebræi Ducem IOSAPHAT, inſtituens, non ſine omnium lachrymis, gemitibus, & ſumma admiratione lingua germanica perorauit, qui

tandem

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

tandem concionem precibus pro Eccle-
ſiæ & Reipublicæ neceſſitate, feliciq́;
gubernatione finiens, adhuc cantores
Regij, ſuas odas inſtaurantes, nobiles
ſuccollantes, funus in eam partem tem-
pli, quæ nomen habet à fano trium Re-
gum, in quo vti hactenus retulimus,
cenotaphium inter CHRISTIER-
NVM I. & ſanctiſſimum CHRI-
STIANVM. III. magnificè diſpo-
ſitum cernebatur, deduxerunt, ac rur-
ſus nobilibus ſuis tedis & ſignis, do-
nec in cenotaphij abacum illatum fu-
nus, magnificentiſſimè conderetur, cir-
cumſtantibus. Poſtremò cùm iam fu-
nus optimi ſui Regis, ſanctiſſimi ac
chriſtianiſſimi Principis, deq́; Eccle-
ſia & Republica Chriſtiana, optimè
meriti, veritatis cœleſtis propugnato-
ris conſtantiſſimi, hæreſeωn profliga-
toris acerrimi, clementiæ, iuſticiæ ac
virtutum omnium promi & condi, no-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

biles reliquiq́; regno incorporati, graui & diuturno luctu parentaſſent, expletis iam ſacris funebribus, omnia ſigna alarum atq́; cohortium, etiam funalia, ornando eius ſepulchro & fano dedicantes, redeunt atrati ſigniferi & lychnuchi, in Regiam, ſinguli pro ſua dignitate, loco & ordine vnà cum incredibili hominum multitudine egreſſi, vbi epulo magnificè & regio more dato, dimittuntur in ſua loca redituri. Hæc autem peracta ſunt anni mirabilis 88. Iunii quinto. Anno ætatis optimi Regis FRIDERICI II. *54. qui annus, quia ex ſexto nouenario conficitur* SCANSILEM *vocant annum, mala generi mortalium minitantem infinita, gubernationis autem Anno 29.*

Tempus abit, Mors venit,
Fac citò quod voles:
Fac bene quod debes.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

ERRATA CORRIGEN-
DA.

folio 6. facie 2. lege ſtemma folio 14. facie 1. lege AVGVSTAM & HEDVIGAM, ibidem facie 2. ſubluſtri. Cæterum aduerbium quod ſæpè occurrit, lege per æ non per œ. Cætera typographica vel in apicibus vel literis, ſi quæ inciderunt errata, æquus ac benignus lector facilè corriget ipſe.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1497 8° copy 1